

DISPUTATIO THEOLOGICA
DE
CREATIONE:

Instituta occasione ἐξ ἡνίκως verborum

Genes. I. v. 1.

*In principio creavit Deus cælum
& Terram.*

QUAM,

DEO TER OPTIMO AVSPICE,

PRÆSIDE

JOHANNES SCHMIDT, SS.
THEOLOGICÆ DOCTORE, EJUSDEM PRO
fessore Publico, & p.t. Facultatis Theologicæ Deca-
no, Ecclesiastæ itidem Or-
dinario,

*Publicè & solemniter defendendam
suscipiet*

M. GEORGIUS Krafft / ARGEN-
TORATENSIS:

In auditorio ; mense Novemb. d. h.


509

a. CM. 54.

ARGENTORATI.

Typis JOHANNIS REPPI, Anno 1804

I. diss. A
3, 54



V I R I S

AMPLITUDE, AUTORITATE, PRUDENTIA, INSIGNI RERUM USU ET EXPERIENTIA MAGNIFICIS, SPECTATISSIMIS.

DN. DANIELI RINGLERO, Inclytæ liberæque Reipub. Argentoratensis Consulari longè Dignissimo,

DN. HEINRICO TRAUSCHIO, Ejusdem Reip. XV. - Viro Eminentissimo.

Præfatis Collegii Guilbelmici Benignissimis.

VIRIS ITIDEM

Reverendis, Consultissimis, Clarissimis & Præstantissimis:

DN. SIGISMUNDO FLACHIO, J. U. D. Institutionum Imper. Professori in Academia Argentoratensi Celeberrimo, & Collegiorum Visitatori, omni honoris & observantiæ cultu prosequendo.

DN. M. WOLFGANGO SCHALLERO, Templi Cathedralis pastori Vigilantissimo, Seniori Venerando.

DN. M. JOHANNI HUBERO, Antistiti templi ad D. Wilhelmum meritissimo, ejusdemq; Collegii Inspectori Fidissimo.

DN. M. SIMONI ROTHERO, Ecclesiæ ad D. Aureliam Pastori Fidelissimo, Collegiorum Visitatori Exoptatissimo.

DN. M. PAULO GNILIO, Tertiæ Gymnasii apud Argentinenfes Curia Præceptor Solertissimo, Collegiorumque Visitatori fidelissimo.

Dnn. Mæcenatibus, Patronis, Favoribus atq; Promotoribus suis magnis;

hanc disputationem Theologicam

Perpetuae observantiæ testimonium, &

Nunquam intermoritura gratitudinis indignum Humiliter & Submissè

Offert & dedicat

M. GEORGIUS Krafft.





Σὺν Θεῷ

DISPUTATIO
DE
CREATIONE

Ex verbis Genes. I. v. I.

*In principio creavit Deus cælum
& terram.*

T H E S I S I.

Dulcherrimè Veteres, Deum res creatas in morem scalæ adaptasse ac per eas sui amantibus ad se extruxisse, dixerunt. Reverà enim, si piè ac diligenter attendas, inquit Augustinus lib. 3. de lib. arbitr. cap. 23. Omnis creatura species & motus, qui in animi humani considerationem cadit, eruditionem nostram loquitur, diversis motibus & affectionibus, quasi quâdam varietate linguarum undiq; clamans atq; increpans, cognoscendum esse creatorem. Unde idem meritò in Psalm. 143 v. 5. creaturam θεῶν ὄραμα sive spectaculum vocat, in quo contemplari divinam majestatem, potentiam, sapientiam, bonitatem, homo possit. Si namq; qui maximum & pulcherrimum ædificium inspicit, architectum miratur, qui navigium videt, bonum & optimè constructum, artificem considerat, & cum contemplatione imaginis memoria pictoris concurrit, multò magis mundi fabricatio ad opificem nos videntes deducit.

2. Non aliter ipsa Sacra Scriptura de hac re, Psalm. 19 1. *Cæli enarrant gloriam Dei & opera manuum ejus annunciat firmamentum.* Qui quidem Psalmus, multorum opinione, non κατὰ ῥητὸν, sed tantùm allegorico sensu de doctrinâ Evangelii in toto orbe terrarum per Apostolos sub initium N. Test. revelanda accipiendus, idque propter Apostolicam interpretationem Rom. 10. 18. Confer Luth. Tom. 2. lat. p. 203. b. Gesn. Heshuf. in Commentar. Aliorum tamen judicio non incommodè etiam literaliter intelligi posse statuitur, ita ut Psalter utriusque cognitionis divinæ medium naturam & Scripturam conjungere,

A 2

& de

8
de de priori quidem in primâ, de posteriori verò in secundâ Psalmi
parte patros agere voluerit. Apostolus autem egregiè Rom. 10. 18. id,
quod de cœlestium corporum motu quoad literam dicitur, ad Evange-
licæ prædicationis cursum allegoricè accommodat, uti alibi quoque
ipsi familiare est, quæ de rebus hujus seculi propriè loquuntur, ad illu-
strationem mysteriorum divinorum adhibere. Confer. Deut. 25. 4.
cum 1. Cor. 9. 9. Nahum. 1. 15. cum Rom. 10. 15. & Ps. 95. 11. cum Hebr.
4. 3. & loca alia. Certè durior esset, qui pios Veteres, quorum plurimi
literali sensu hujus Psalmi verba acceperunt, à scopo prorsus aberras-
se, sentiret: quos inter Basilias Homil. super Princip. Proverb. Salom.
Psalmum hunc allegans, omninò graviter scribit. *Tantum non vocem
emittunt opera Dei visibilia, quod à Deo facta sint, quodque non fortuito
casu tanta in rebus naturalibus insint sapientissimi artificis monumenta.*
Natura enim rerum, etsi vocem non emittit, tamen *σιωπῶσα βωῆ τὸν ἐπι-
τήν κτιστὴν ἢ κτίον, ἵνα δὲ αὐτῆς ἀναδράμῃς ἐπὶ τὴν ἐννοίαν τῆς μόνῃ σοφῆς.* &
Ambros. Hexaem. l. 2. c. 4. *David dicit: Cœli enarrant gloriam Dei &
opera manuum ejus annunciat firmamentū, hoc est, mundi opus cum vide-
tur suum laudat authorem.* Quibus similia habet Athanas. Orat. Con-
tra Idol. Chrysost. homil. 9. ad popul. & homil. 2. in Epist. Rom. & homil.
5. in 1. Cor. Bernhard. serm. in Ps. 85. v. 9. & alii plures. Confer etiam Job.
12. 7. seqq. Act. 14. 16. Rom. 1. 19. & 20. Syr. 43. 1. & seqq. sap. 13. 3. seqq.

3. Mens nostra nequaquam est, pulcherrimam hanc mundi ma-
chinam omnes divinæ notitiæ gradus sui contemplatione absolvere pos-
se, ut inde homo *sufficere* ad salutem & vitam æternam informetur,
quod olim ex Patribus nonnulli *secure*, & postea plurimi Scholastico-
rum Pontificiorum *malè* docuerunt, è quorum principiis & hypothe-
sibus Andrad. defenf. Concil. Trid. l. 3. p. 292. *vera, inquit, fides & ve-
ra Dei cognitio ad justitiam & salutem æternam, etiam ex his rebus quæ
se sibus subiciuntur, haberi potest.* Nihil enim illa de SStæ Trinitatis
mysterio, nihil de Christo mediatore, Redemptore & Salvatore. nihil
de mediis, per quæ Christi beneficia offeruntur: nihil de eorundem
apprehendendorum organo sive fide salvificâ: nihil de salutari pœni-
tentiâ & conversione: nihil de operibus verè bonis & Deo placenti-
bus nihil denique de totâ Evangelii doctrinâ, quâ sine Deo nec verè
atque ad salutem cognoscitur nec ritè colitur, unquam tradere potest.
Omnia enim hæc, ut naturaliter nemini homini sunt insita, ita nec è
magno hoc creaturarum libro hauriuntur, sed solius divinæ sunt re-
velationis, prolata ex arcano sinu æterni Patris, confer Joh. 1. 18. Rom.
16. 26. Col. 1. 26. Ephes. 3. 9. Rudimenta tantum quædam *θεογονίας*
mundi contemplatio ponit, & Deum unum, æternum, immensum,
omni-

omniscium, sapientem, potentem, optimum, maximum testatur: quorum notitia ad salutem non sufficit. Ad scripturæ sacræ cathedram necesse est veniat, qui plenam Dei cognitionem ad salutem expetit. 2. Tim. 3. 15. Joh. 5. 39. Luc. 11. 28.

4. Nihilominus non proflus negligenda naturæ institutio, sed unâ cum Scripturæ magisterio retinenda, ut ex hoc, quod illi deest, utiliter peti possit. Quemadmodum enim non solum lucidissimus sol suo jubare cœleste firmamentum præclare ornat, & sublunaria corpora illuminat, sed & Luna ac singulæ stellæ, quibus lucis longè minor mensura obtigit, cœli decus sunt, & suos emittunt radios: ita non tantum Scripturæ sacræ humanam mentem scientiâ Dei pulcherrimè imbuunt, sed & creaturæ omnes, si attentè considerentur, aliquid eidem luminis conferunt; id quod ipsæ sacræ literæ locis *Gen. 2.* allegatis confirmant.

5. Et magna est felicitas, utrumque lumen jungere ad divinæ majestatis gloriam contemplandam posse, quâ omnes Ethnici & infideles extra Ecclesiam, suâ tamen culpâ, destituuntur: qui præter umbratilem & perobscuram de Deo cognitionem, quam natura suppeditat nullam aliam habentes, in tenebris & magna ignorantia versantur. Nobis verò in Ecclesia viventibus Dei beneficio utraq; lux fulget, qui hoc nomine tantò sumus beatiores, quantò major splendor è verbo Dei naturale lumen perficiente, quàm è sola natura ad humana pectora redit.

6. Secuti itaque geminam hanc lucem, maximè tamen eam, quæ clarissima est & in verbo divino præfertur, immensam Dei Majestatem, potentiam, sapientiam, bonitatem in admirando creationis opere & pulcherrimo hoc mundi theatro, ipso rerum Fabricatore adjuvante, spectabimus. Cum enim antehac de Jehova *absolute* & in se considerato, aliquot disputationibus juxta normam sacrarum literarum disserterimus: ostenderimus Deum non nisi unum sive ex suâ naturâ, per se suumque esse individuum atque ita maximè, purissimè, simplicissimè & positivè unum esse: explicuerimus καὶ δὲ ὅτι divinarum sive attributorum, sive proprietatû, sive perfectionum rationem egerimus tandem de ἀπρότακτο, ἀνεκτάσῳ *S. Trinitatis mysterio*; jam & deinceps eundem *relatè* & respectu μεγαθυρίας ac mirandarum operationum ad extra in creaturis Christianâ devotione meditabimur.

7. Inter quas μεγαθυρίας hoc ipsum *creationis opus* primum habet locum, quo Deus ex arcana sua sede, cum infinitis tetrò æternitatis seculis in se solo, perfectissimâ modisq; omnibus absolutissimâ ἀνταρκτικῶς plenus bonorum omnium, aut rectius ipsum summum bonum

extitisset, prodiens, hanc cœli terræque machinam, juxta decretum ab æterno factum omnipotente virtute fabricavit.

8. De hoc itaque admirando creationis opere aliquid acturi, prima Genesios, atque ita totius Sacræ Scripturæ verba, utpote sedem huic doctrinæ præbentia, in vestibulo evolvemus. Hæc enim, uti totum negotium miro compendio complectuntur, ita omnium quaestionum, quæ quidem hæc in re utiles nobis & cognitu necessariæ sunt, declarandarum, occasionem exhibent. Vbi non moramur veterum Judæorum superstitionem, quâ ab exordio hoc Mosaico, ut & visione quadrigarū Ezechielis, totam, ut illi ajunt, Philosophiam naturalem & Metaphysicam atque infinita mysteria occultè comprehendentia, arcent omnem, in quo non sunt quinque conditiones, scilicet ut sit **זקן ופנים יפות** senex, honorabilis facie &c. prout Esa. 3. 3. & 4. extant. Est enim hæc traditio ex iis, quas Christus Salvator vocat *διδασκαλίας & ἐντάλματα ἀνθρώπων*, & de quibus ad Pharisæos dicit *irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram* Matth. 15. 6. & 9. Nam, licet minimè diffiteamur, creationis historiam immensum esse divinæ sapientiæ pelagus, juxta illud Theophili Episcop. Antioch. lib. 2. ad Autolyc. *Τῆς ἑξαήμερου ἡδεὶς ἀνθρώπων δυνατὸς κατ' ἀξίαν τὴν ἐξήγησιν καὶ τὴν οἰκονομίαν πᾶσαν ἐξεπέμψεν εἰς μύρια σόματα ἔχοι καὶ μύριας γλώσσας, διὰ τὸ ὑπερβάλλον μέγεθος καὶ τὸν πλεόντων τῆς σοφίας τῆ θεοῦ τῆς οὐσης ἐν ταύτῃ τῇ ἑξαήμερῳ*: non tamen propterea ejus lectione & meditatione censemus abstinendum esse: imò verò quò plus in eadem sapientiæ latet, hoc diligentius scrutanda est, ut, quæ nostræ informationi, exhortationi, consolationi utilia sunt, inde eruantur Joh. 5. 39. Luc. 16. v. 19.

9. Sic autem Moses, qui, juxta Basil. homil. 1. hexaëm. *ipsam Dei faciem videre dignus factus, ea, quæ à Deo audivit nobis recenset*. Gen. 1. v. 1. **בראשית ברא אלהים** Quæ verba Onkelos Chaldaeus ita reddidit: **בראשית ברא יי יה שמיי** Græcus interpres hoc modo: *ἐν ἀρχῇ ἐποίησεν ὁ θεὸς τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν*: Latina vulgata: *In principio creavit Deus cœlum & terram*. Lutherus Germanicè. *Am anfang schuff Gott Himmel vnnnd Erden*.

10. Habet hic versiculus suum tùm *subjectum* tùm *predicatum*, quæ sigillatim & diligenter sunt consideranda.

11. Subjectum est *Deus*, hebraicè **אלהים**, quam vocem, ut disp. de Deo uno thesi 32. annotavimus, nonnulli ab **לה** juravit, originem habere statuunt, eò quod omnes creatura propter dona & beneficia

faciis

ficia quæ ab ipso Deo acceperunt & habent, ipsi tanquam juramento ad-
 stricti sint, ad præstandum cultum, obedientiam, timorem, fidem, invoca-
 tionem & gratitudinem, & ut habeant illi hunc honorem, quod invo-
 cantes juvare & defendere possit, Confer Forster. Lexic. Alii ab אלהי
 Fortitudo & אלהי fortis, descendere arbitrantur, quod Deus omnia possit,
 cui nihil sit impossibile, cujus potentia, majestas, facultas extendat se ad
 & super omnes creaturas & à cujus potentia & Majestate dependeant u-
 niversa in cælo & in terrâ, quæ habent aliquam potentiam, potestatem,
 facultatem, virtutem, ut iterum loquitur Forsterus. Rabbini ludunt,
 qui אלהי ab אלה & אלהי compositum esse tradunt, & addunt: si
 tollas literas nomine tetragrammatice remanet אלהי mutus: nam ho-
 mo sine Deo tam mutus est quam piscis. Retinemus nos quam ante hac
 amplexi sumus sententiam, nomen singulare אלהי cujus plurale
 אלהים primitivam esse & à nullo alio derivari, nisi quis mallet fin-
 gere radicem אלהי quæ tamen nullibi usu venit: Confer Lexic. Schind-
 leri & Pagn.

12. Usurpatur autem nomen אלהי πρῶτος & κύριος de Deo
 vero, & nunc quidem ἰσχυρὸς sive essentialiter, de totâ sanctâ Trinitate,
 nunc ὑποστασιακῶς personaliter de una ex tribus personis non tamen sim-
 pliciter sed ἁπλοῦς & relativè, quia quælibet persona est persona non
 unitatis, non dualitatis, sed Trinitatis. Μετονομαστικῶς tribuitur creatu-
 ris, quæ Dei instrumenta sunt ejusdemque vices certâ ratione gerunt:
 ita Angeli virtute potentes facientes verbum Dei & parati ad audien-
 dam vocem sermonis ejus Psalm. 103, 20. vocantur אלהי Psalm. 8.
 6. ex interpretatione Epist. Hebr. 7. 6. Quò quidam referunt loca
 Pf: 97. 7. & 9. Pf. 138. 1. Job. 1. 6. c. 38. 7. ita homines ἐξουσιαστικῶς ἄλλων &
 humano generi præfecti, quales sunt qui Magistratum legitimè ge-
 runt & dominium divino jussu in alios exercent אלהי dicuntur,
 Confer Exod. 21. 6. c. 22. 7. & 8. 1. Sam. 2. 25. Psalm. 82. 1. 6. Καταχρηστικῶς
 & Ψευδοποιητικῶς אלהי nominantur omnes Diæ commentitii sive I-
 dola, quæ aliàs scriptura vocat Deos alienos & alios, Exod. 10. 2. Gen. 35.
 2. & 4. Deut. 31. 16. cap. 32. 12. Jos. 24. 20. & 23. Sunt illi vel אלהי
 sculptilia vel אלהי fusilia vel אלהי imagines, vel in genere
 אלהי quævis similitudo, sive solâ mente & cogitationibus forma-
 ta, sive exposita oculis. Confer Gen. 1. 30. & 32. Exod. 27. v. 12. cap. 20.
 22. cap. 22. v. 19. cap. 23. v. 13. Levit. 19. v. 4. Num. 25. 7. Qui omnes opti-
 mè convenientissimèque אלהי appellantur id est res nihili sive
 nihilum ab extremâ suâ vanitate, Confer Levit. 26. v. 1. Esai. 2. v. 20.
 c. 10. 11.

13. Cæ

8. E
13. Ceterum, quemadmodum nomina יהוה & ejusdem contractum יהי simpliciter essentiam divinam significant, non quod eandem plenissimè clarissimèque definiant, exprimant & cognitam reddant, sed quod immediatè τὸ εἶναι, non aliquam Dei actionem & virtutem notent: ita vocem hanc pluralem אלהים πρώτος personarum, quas veteres Hebræi מריות appellant, significatricem esse arbitramur, non essentia. Unde Angeli, Magistratus, Judices, Principes & quicumque divina gerunt officia nunquā יהוה sed tantum אלהים appellantur. Quia enim non simpliciter essentiam Dei, sed duntaxat personam, authoritatem, dignitatem, eminentiam, genere modoque quodam referunt, ideo non θεός sed ὑποστάσεως nomine denotari debent, & quidem in plurali numero אלהים cum non unam personam, sed totam Trinitatem in officio suo representare semperque in memoriā & conspectu habere teneantur. Neque sequitur, quod à quibusdam obijci solet, si אלהים notat divinas personas, eodem modo latinè licere dicere tres esse Deos, sicut Hebraicè dicitur tres esse אלהים. Nam diversissima hinc ratio est: Deus enim apud Latinos & θεός apud Græcos, nequaquam per omnia respondet Hebræo אלהים ut ex accuratā formationis, inflexionis, constructionis &c. consideratione patet, sed nomen est essentiale sive essentiam primò significans, quod omnes concedunt: unde etiam ipsi Ethnici Dei nomine intelligunt omnis boni fontem & originem, summum dominatorem, qui alios sub potestate habeat & moderetur: verum אלהים longè alius conditionis est, cuius singulare quidem אלה Deum significare non negamus, plurale tamen personas Deitatis πρώτος notare locorum scripturæ inspectio ostendit: unde etiam Græci & Latini interpretes vocem hanc pluralem præsentem textu & alibi non per plurale Θεοί Dii, sed per singulare Θεός Deus reddiderunt, tacitè magnam, quam diximus, diversitatem, agnoscentes & approbantes: Confer D. Walt. Spicileg. de nominibus יהוה אלהים Controv. 20. p. 320.

14. Habet ergò nomen hoc אלהים μυστηριώδες, in quo adorandum SSæ Trinitatis mysterium, aliquo modo latet. Latet inquam, quia obscurius proponitur, nec nisi ex diligenti totius contextus & constructionis διακρίσει aliorumque locorum collatione à pio studiosoque lectore eruitur. Placuit enim sapientiæ divinæ plurima fidei sacramenta, quæ nobis hodiè partim ob vaticiniorum complementum, partim ob novas easque illustrissimas, quæ accesserunt, revelationes, clarissima sunt in Veteri testamento sub involucris sive typorum & imaginum

61
ginum, siue phraseων & loquendi modorum tradere; cuius rei causam non debemus curiosè investigare. Latet autem aliquo modo, quoniam non immediatè determinata divinarum personarum Trinitas: sed indeterminata multitudo & pluralitas demonstrari inde potest.

15. Rem ita se habere, ipse pluralis numerus expressè hic positus confirmat, à cuius proprietate, ut recedatur, nulla certa & necessaria adduci causa potest. Nam quod verba Deut. 6. 4. à quibusdam objecta, attinet, quæ *Iehovam unum* esse docent, rectè quidem illa opponuntur πολυθεότητι & opinioni, non verò pugnant cum pluralitate ὑποστάσεων, de qua hoc loco sermo est. Præterea, si hac voce plurali non innueretur pluralitas in divina essentia, ratio adferri nulla posset, ob quam Moyses plurali usus fuerit, quippe cum singulari numero hoc nomen non destituatur, Confer Deut. 32. 18 Job. 12. 4. & 36. 2. Hab 3. 3. præsertim cū adjungat verbum singulare ברא, quæ irregularis constructio necessariò aliquid singulare monstrat: id quod etiam ipsi Hebræorum Rabbinum non negant. Nota enim sunt quæ Galatinus l. 2. de arcan. Cathol. verit. c. 9. p. 70 è minori Genesios expositione à Rabbi Huna tradita, adfert. *Nisi hic sermo scriptus fuisset, non licuisset dicere & creavit אלהים* id est *Dii cælum & terram &c.* Quod ipsum, ut tantò magis elucesceret, notari nimirum hinc pluralitatem, sæpè scriptura huic nomini אלהים epitheta subjungit, quæ ipsa quoque sunt pluralis numeri Deut 5. 26 אלהים חיים *Dii viventes* Jos. 24. 19 אלהים קדושים *Dii sancti*, confer Ps. 58. 12. Nonnunquam addit verbum plurale Gen 20. 13. התעו אתי אלהים *errare me fecerunt Dii*, Gen. 35. 7. נגלו אלהים apparuerunt Dii. Confer. Gen. 30. 35. 1 Sam 7. 23 Quibus loquendi formulis manifestissimè plures Deitatis personæ indicantur. Nunquam enim, cum propriè loquimur, uni alicui personæ verbum vel adjectivum plurale tribuere solemus. Accedit tandem, quod hæc pluralitas statim hoc ipso capite manifestè evolvitur & confirmatur. Nam. v. 2. expressè nominatur Spiritus Domini, v. 3. verbum Domini: id quod Psalmo 33. 6. repetitur: *Verbo Domini cæli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis exercitus eorum.* Conferatur etiam cap. 1. Gen v. 26. *faciamus hominem ad imaginem nostram, & juxta similitudinem nostram*: ex quo ita colligimus: unus idemque est, qui est creator Gen. 1. 1. & eodem cap. 26. & 27. Atqui, qui est creator Gen. 1. 26 est plures, id quod ipsi adversarii non negare possunt, unde alii Deum Angelos, alii creaturas irracionales, alii distinctas in homine potentias allocutum esse, impiè absurdè que fingunt. Ergo etiam, qui est creator, cap. 1. v. 1. est plures. Eadem est ratio cap 3. Gen. v. 22. *Eccè Adam sicut*

B

unus

unus ex nobis. Ubi, qui loquitur omninò plures est; idem verò nullus est alius quàm creator.

16. Facessant itaque quivis Judæi & Judaizantes, quorum alii, ut mysterium SStæ Trinitatis vel prorsus, quantum in se, tollant, vel in hoc textu nullo modo latere aliis persuadeant, ajunt hunc loquendi morem esse **הלשון ררך** Idiotismum linguæ Hebraicæ, ac singularem quandam in se continere elegantiam. Nam licet minimè negetur idiotismum esse, talis tamen est, qui simul mysterio plenus, ac declarando gravissimo fidei articulo est convenientissimus: talis est in quo distributiva locutio pluralitatem non tollit sed involvit. Alii inquirunt, esse hoc loco **כבור ררך** & usurpari pluralem numerum ad significandam auctoritatem, dignitatem & potentiam, more Magnatum terrenorum. At frigidissimum hoc est. Quod enim Imperatores, Reges, Principes suis in decretis, & quidem linguâ unâ tantùm aut altera factitant, quando in plurali numero de se, *Nos volumus, Nos mandamus* loquuntur, id à cœlestis curiæ stylo est alienissimum. Quæ consuetudo, si in divinis etiam locum inveniret, sanè scriptura perpetuò de Deo pluralis numeri verbis & sententiis loqueretur, quod non fieri res ipsa monstrat. Certè omnium maximè par fuisset in severissimâ & summæ majestatis plenissimâ legis promulgatione hujusmodi loquendi modis uti, si inde Dei auctoritas & Imperium summum aliquâ ratione declararetur. At nullum ibi apparet rei hujus vestigium: simpliciter *Iehova Elohîm, Ego, inquit, sum Dominus Deus tuus &c.* Exod. 20. 2. Confer. D. Helvic. vindic. locorum script. V. T. pag. 34. seqq.

17. Reliqua versiculi verba prædicatum constituunt, quibus **אלהים** Deus Trin - unus dicitur *creâsse cælum & terram in principio.*

18. Verbum **ברא** maximè propriè significat *ex nihilo producere* **באין לישי** à non esse simpliciter ad esse, ut Hebræi loquuntur. Græcum **ποιεῖν** generalissimum est, non semel tamen in N. T. in hoc ipso argumento usurpatur: Confer. Act. 14. v. 15. cap. 17. 24. Hebr. 1. v. 2. Apoc. 14. 28. Latinum *Creo*, cui olim synonymum fuit *Cereo*, unde *Ceres* dicta, cognationem habens cum græco **κρᾶνω**, *perficio, efficio*, item *impero, regno*; Latinâ usurpatione non quidè est propriè ex nihilo facere aliquid (talis enim effectio Ciceroni & Latinis plerisq; fuit ignota) sed gignere vel ordinare, unde dicitur *creare sobolem, Prætores &c.* Postquam tamen Theologi Latini id suum fecerunt, hanc significationem ei tanquam propriam attribuerunt, ut idem notet quod Hebræum **ברא**. Hinc generaliter *creatio* iis est *productio sive emanatio rei, secundum*

cundum totam substantiam à primâ universali causa ex nullo præsupposito creato vel increato. Et speciatim creatio cœli & terre, de qua Moses hoc loco agit, est emanatio totius entis à primâ causâ, qua est Deus, ubi simpliciter non Ens sive nihil supponitur, ut totum hoc universum intelligatur productum ex nihilo, sumtâ voce, non pro materiâ aliquâ, sed pro termino à quo, id est, ex merâ negatione.

19. Aliàs hæc ipsa vox *קרא* creare aliter quoque usurpata legitur. Nam, præterquam, quod significat ex materiâ inhabili & prorsus indispositâ aliquid producere Gen. 1. 21. Creavit Deus cete grandia scilicet ex aqua: v. 27. creavit Deus hominem, nimirum ex limo terræ Gen. 2. 7. quæ significatio ad priorem quam proximè accedit, transfertur etiam ad naturalem generationem quæ non fit ex nihilo, sed per seminationem vel alterationem materiæ Psalm. 104. 29. Mittis spiritum tuum & creantur, Confer. Jes. 43. 1. & 7. cap 54. 16. Amos. 4. 13. Unde Deus rerum omnium, quæ sunt, licet magnam partem generatione ortæ, creator & fabricator vocatur, cujus rei causa, quia primum res omnes è nihilo creavit, & quibusdam creaturis certas virtutes ad similia producenda indidit ac concreavit, Gen. 1. 11. 22. 24. Deinde quia omnium conservator est, ut esse & operari possint, quæ conservatio est veluti quædam quotidiana imò momentanea creatio aut creationis semel factæ continuatio. Tandem, quia, ut prima & universalis causa, cum omnibus causis secundis in operando efficienter concurrat, quo concursu sublato, nihil nasci, generari, effici aut quoquo modo oriri posset. Confer. Job. 10. 8. Psalm. 36. 7. Sap. 8. v. 8. Johan. 5. 17. Hinc non malè Scholastici, *omnis*, inquit, *effectus & creatur & generatur*, creatur à causâ primâ, generatur à causâ secundâ: quem loquendi modum ex Augustini Commentar. in Psalm. 71. 19. desumpsisse videntur, ubi inquit: *Istis (parentibus) generantibus, Deus creat.* Transfertur præterea vox creationis quoque ad regenerationem spiritualem, quâ homo è statu iræ in statum gratiæ divinæ translatus, novis ornatur viribus ad vitam piè rectèq; agendam Psalm. 51. v. 12. *cor mundum crea in me Deus*, Unde Apostolus Eph. 2. v. 10 *ipsius (Dei) factura sumus creati in Christo Iesu*, id est renati. Confer. 2. Cor. 5. v. 17. Cujus ratio, quia gratiosa *ἀνάκλησις* & regeneratio non minùs merum Dei solius opus est atque *κλήσις* prima, præterea quia, ut primus homo è limo terræ sine ullâ sui ipsius cooperatione formatus est: ita sine arbitrii sui cooperatione regeneratur, ac tantum patiens subiectum est, non ex carne & sanguine, nec ex voluntate viri, sed ex solo Deo renatus, Joh. 1. 13. Applicatur tandem creatio is vocabulum generalissimè ad omnia, quæ singulari Dei actione & gubernatione reguntur ac fiunt, ut sunt eventus sive boni & felices, sive

81
Sinistri & infelices Jer. 35. v. 22. *Iehova creabit rem novam in terrâ &c.*
Confer. Esa. 4. v. 5. cap. 45. 7. cap. 46. 11. cap. 57. v. 19.

20. Porro in hoc textu nostro τὸ *בָּרָא* creare propriè sumitur, & productionem ex nihilo notat, non exclusà tamen formatione rerum ex indisposità & inhabili materiâ. Confirmant id ipsum verba hæc accuratè ponderata luculentissimè. Nam Deus hic creasse dicitur *in principio*. Ante principium verò creationis nihil fuit nisi Deus, aut si aliquid fuit, id vel increatum fuit vel creatum, non increatum, quia nihil increatum nisi creator Deus: neque creatum, quia rursus id fuit vel ex aliquo vel ex nihilo: si ex aliquo, & id rursus ex aliquo, dabitur progressus in infinitum: *Deinde* patet idem è vocibus *cæli & terra*, quibus totius universi futura basis innuitur: nullius autè materiæ sive hîc sive alibi fit mētio, ex quâ istâ creata sit, sicut Moses aliàs, cum speciatim de creaturis agit, materiæ, unde immediatè divino imperio ortæ sint, meminit. Confer Gen. 1. 11. 24. & seqq. *Accedit* quod hoc ipso in loco contineatur sedes doctrinæ & articuli de creatione: non igitur aliter quam propriè vocabulum creationis sumendum est, scilicet pro fabricatione ex negativo nihilo. Propriis enim verbis Spiritus Sanctus religionis dogmata certis Scripturæ capitibus tradidit, ut firmum fidei haberemus fundamentum. Denique aliorum scripturæ locorum si adhibeatur collatio, idem elucet. Proverb. 8. 24. & 25. *Nondum erant abyssus & ego, (Sapientia) jam genita eram, ante omnes colles ego genita sum.* Rom. 4. 17. *Deus vocat ea, quæ non sunt, tanquam sint.* Hebr. 11. 3. *Intelligimus constructa secula, ut ex non apparentibus, ea quæ videntur, fierent.* Confer 2. Maccab. 7. v. 28! Quæ singula evincunt ex non-existentibus hæc omnia, adeoque ex nihilo esse producta.

21. Lutherus hebræum *בָּרָא* reddidit germanicè *Schuff* / cui hoc nomine vehementer indignatur Melchior Zanger in ipso limine libri, quem Lutheranae bibliorum versioni Anno 1605. opposuit; vult præferendam esse Dietenbergii translationem, quâ *בָּרָא* redditur *hat erschaffen*. At hoc est datâ operâ calumniandi & sugillandi occasionem fingere, ut innocentia hominum simplicium odiis obijciatur. Habet suo complexu unicum Hebræorum præteritū omnes præteritorum species, scilicet præteritum imperfectum, præteritum perfectum & præteritum plusquamperfectum, quod proinde diversimodè sine ullâ depravationis suspitione reddi potest. *בָּרָא* significat, creabat, creavit, creaverat, quod ipsorum etiam Pontificiorum libelli Grammatici testantur: confer vel Bellarm. Gramm. Hebr. p. 60. Maluit autem Lutherus in versione Germanica imperfectum quàm perfe-

perfectum usurpare, quoniam non uno momento totum creationis opus, sed certo temporis cursu, nimirum sex dierum spatio fuit absolutum, ad quod notandum imperfectum commodius, quam aliud aliquod præteritum adhibetur: Hinc ipse Diätenbergius non ubiq; Hebræa præterita per præteritum perfectum germanicum, sed multoties per imperfectum reddidit Confer Gen. 3. 2. 9. 11. & seqq. Ægerrimè fert Papatus, Lutheri Sacræ Scripturæ versione (de quâ non immeritò Heshus. comment. in Psalm. præf. p. 4. 6. quod *proprietas, significantia, perspicuitate & elegantia verborum ac sententiarum nativo intellectu atq; pondere vincat omnes interpretes, quotquot in toto orbe terrarum extant, adeoque ipsos septuaginta Interpretes, quorum tamen versione Apostoli aliquando sunt usi*) sua βδελύγματα & abominationes revelatas ac omnium oculis expositas esse; dolet magnam veritati divinæ cognoscendæ accensam inde lucem, undè in eo totus est, ut invisam & odiosam reddere possit, quod tamen, tantùm abest, ut obtineat, ut ineptissimis suis *μωμήμασι* & reprehensionibus potius se suspectum magis, Lutherana autem Biblia præter opinionem, gratiora apud omnes doctos reddat, de quibus præclarè Princeps Anhaltinus Georgius in suo, de Psalm. 16. versione iudicio, pag. 107. a. *universus terrarum orbis dignam Luthero mercedem solvere nunquam potest, non dicam pro totius Scripturæ Sacræ sed vel unius Psalterii germanicâ translatione.*

22. Creasse autem dicitur **השמים והארץ** Cælum & terram. Nomen **שמים** nonnulli compositum esse volunt ex **ש** & **מים** quasi ibi aquæ, scilicet sunt vel subsistunt: alii ex **שמה** stupere & **מים** quod stupendo modo aquæ ibi suspensæ hæreant, aut quia homines de ejus opificio obstupescant: quidã ab **אש** & **מים** ab igne & aquâ, quod cælum sit ignis & aqua. Scribunt enim Judæi, *Deum sanctum, benedictum, ignem & aquam accepisse & permiscuisse invicem atq; ita factos esse celos.* Schindlerus in Lexico, simpliciter à **ש** quod adverbium loci remoti seu longè distantis est, derivat, statuens cælum ideo ab Hebræis **שמים** dici, quod à terrâ sint remotissimi. Cæterùm formam dualem nomen istud habet *propter aquas duplices superiores & inferiores*, ut vult Buxtorf. Pareus ait notari hâc formâ *duplicem regionem ætheream & elementarem.* Schindlerus sentit innui *distantiam à terrâ utrinq; aequalem, vel duos mundi polos circa quos cælum circumvolvitur.* Significationes cœli in Scripturâ sunt variæ, quarum præcipuas obiter notamus. Interdum enim accipitur *pro aëre terram ambiente*, in quo sunt nubes Matth. 6. v. 26. aliquando *pro supremo & nobili corpore*, quod elementarem regionem claudit &

ambit, in quo sunt luminaria magna & reliquæ stellæ Gen. 1. 19. nonnunquam *pro divinâ majestate & gloriâ*, quo sensu passim dicitur in cælis esse. Describitur etiam quandoque voce cæli *status beatorum & summa lætitia*, Matth. 18. 10. Tandem nomen cæli notat quoque cæleste illud $\pi\delta$ & habitaculum angelorum & beatarum animarum, quod aliàs vocatur *paradisus* Luc. 23. 43. & *sinus Abraha* Luc. 16. 22. & regnum cælorum Matth. 8. 11. Illud non indignum est, cujus hic mentio fiat, nimirum שמיים à Rabbinis & Thalmudistis inter nomina divina, quorum, præter ea quæ Sacra Scriptura habet, decem numerare solent, refertur: causam adducunt כי שמיים שובהו quoniam cæli sedes ejus: atque hinc natam & declarandam esse quidam volunt locutionem Matth. 21. 25. *è cælo*, id est Deo, *an ab hominibus* Confer Canin. disquisit. pag. 32.

23. In voce alterâ ארץ unde originem trahat, non minus quàm in vocabulo שמיים à Grammaticis & Rabbinis laboratur. Schindlero placet à ררר descendere, quod significat cucurrit, & terram sic vocari, quod animalia in eâ currant, circa eam verò elementa alia & corpora cælestia: sicut etiam Latinis terra à terendo est, quod animalium pedibus teratur. Alii deducunt à ררר concussit, compressit, conquassavit, quod sit oppressa & infimum inter elementa, centrum mundi. Quidam à רצה voluit, delectatus fuit, quod terra expetat & quodammodo postulet divinam benedictionem, aut quod Dei *עבודת* sit separata ab aquâ præter naturam suam, ad commoditatem hominis. Sunt qui compositam putant ex ררר non, per apocopen pro ררר & ררר cucurrit, quod terra non currat sed stabilis maneat. Verùm sunt hæ allusiones, quarum de quibusvis vocabulis variæ adferri & excogitari possunt, & quas proinde sollicitè examinare, supervacuum.

24. Ut autem vocis cæli, sic quoq; terræ variæ sunt significatio- nes: ea propriissima est, qua sumitur pro hoc elemento, quod partim aquis tegitur, partim ab hominibus & aliis animantibus incolitur, unde arbores nascuntur & plantæ in vitæ humanæ utilitatem. Synecdochica locutio est cum vocabulo terræ notatur una aliqua regio & Provincia quod in Scriptura Sacra frequentissimum. Nonnunquam pro infimo loco accipitur, sicut cælum pro summo: moris etiam Scripturæ est aliquando vocibus universæ terræ unam tantum regionem & provinciam notare Gen. 41. v. 57. כל הארץ *universa terra venit in Egyptum ad frumentum emendum*. Metonymicè terra sumitur pro hominibus vel totius terræ habitabilis vel plurium regionum, vel etiam
unius

unius alicuius, præsertim Chanaan, ut è plurimis Vet. Test. locis constat. Sed nolumus hinc immorari.

25. Hoc potius partium nostrarum est, ut in Germanum & genuinum horum verborum sensum inquiramus, ac, quid Moyses per *cælum & terram* hoc loco intelligere voluerit, è circumstantiis textus explanemus. *Chrysostronus* nihil hic indicari voluit aliud, quàm quod postea secundo die perfectum dicitur, firmamentumque est appellatum. Existimavit enim, primis illis verbis non describi aliquarum rerum creationem, sed Moysen universim compendio referre voluisse totum creationis mundi opus, quod sex diebus perfectum est. cælo nempe & terræ nomine totum mundum comprehendendo, postea vero ad singulas ejus partes descendere. Augustinum per cælum hoc loco Angelos intellexisse è lib. 12. Confess. ejus cap. 7. colligunt Pererius, Pareus & multi alii: ubi tamen nihil, quod isti opinioni favere videatur, invenimus. Cap. autem seq. 9. ait: *cælum cæli, quod in principio fecisti creatura est aliqua intellectualis, quanquam nequaquam tibi Trinitati coæterna: particeps tamen aternitatis tuæ, valde mutabilitatem suam prædulcedine felicissimæ contemplationis tuæ cohibet &c.* Pontificiorum communis & pervulgata opinio est, quam Pererius à nongentis abhinc annis à plerisque Theologis receptam & probatam esse scribit, nomine cæli hoc loco intelligendum esse *tantummodo cælum Empyreum multis rebus maximè diversum à cæteris cælis, altissimum & amplissimum penitus immobile & impassibile, totum lucens non lucens, quæ radios fundat, & quæ sit oculis mortalium conspicua, sed luce tali, qualis esse dicitur in elemento ignis, quod supra aërem lunæ orbi subsidet: in quo Christus cæteros excellat tam angelos, quàm homines & loco & dignitate, proximum ab eo locum Maria virgo habeat, reliqui etiam secundum ipsorum dignitatem ordinentur, cujus imaginatio facile possit haberi, si quis imagine tur, sicut aves in aëre & pisces in aquâ, sic in cælo Empyreo collocari corpora &c.*

26. In his & similibus aliis, quas commemorare non lubet, de cælo & terrâ, opinionibus, haud opus est multum desudare, ut quo loco habendæ sint, ostendatur. Sufficit ipsa verborum Moysis & historiæ consideratio ad ferendum de iis iudicium, è qua Pontificii in primis nihil adferre possunt, quò cælum suum Empyreum solidè tueantur: quod potius ipsorum figmentum est, dignum cui, non in Theologiâ sacra, sed inter aniles fabulas & deliramenta primus locus assignetur.

27. Sunt autem *duæ alia* nobiliores & à plurimis Interpretibus receptæ de cælo & terrâ *sententiæ*, quæ, licet ambæ nihil contra fidei *ἀναλογίας* aut pietatem Christianam habeant, *σύγκριμα* tamen & comparatio

812
parationem merentur, ut, quæ gravioribus nitatur rationibus & hinc
potius quàm altera amplectenda sit, pateſcat. *Prior* eorum est, qui per
cælum & terram molem quandam rudem & indigestam, corpora &
cœlestia & elementaria indistinctè comprehendentem significari exi-
ſtimant, ut sit sensus: Deum in primo creationis seu primi diei princi-
pio & puncto totam illam massam ex nihilo creasse, ex quâ deinde cœ-
lum & terram aliaque his contenta corpora sequente *ἐξ ἀνυπέρο* distin-
ctè producta sint. Ubi per molem illam nequaquam intelligunt ma-
teriam, quam Physici primam vocant, quæ res exilis est, vix animo &
cogitatione comprehensibilis, omniq; formâ carens. Non enim Moſis
institutum fuit, hanc de materiâ primâ in historiæ suæ fronte tradere
doctrinam, aut de eâ disputâdi occasionem præbere, quam ne quidem
acutissimi Philosophi satis explicare possunt. Et res ipsa docet mate-
riam primam Philosophorum ab hâc indigestâ mole Mosaicâ aliam
omniñò ac diversissimam esse. Hæc enim fuit subjectum realis ac sen-
sibilis qualitatis nimirum lucis: materia autem Aristotelica, omnium
qualitatum sensibilibum prorsus expers est: fuit insuper permixta a-
quæ, unde neque aqua neque terra de novo fuit producta, sed dunta-
xat altera ab alterâ separata: tale autem nihil materiæ Philosophicæ
tribui potest. Non prorsus fuit indeterminata, sed suis circûscripta ter-
minis & certâ quantitate, quæ materiæ primæ aliàs minimè competit.
Denique seorsim per se extitit prius quàm alia corpora formarentur:
materia autem prima non separatur sed tantùm in aliis corporibus ex-
istit, ut Philosophi volunt. Fuit itaque indigesta isthæc moles tale Dei
opus ac corpus tale, quod formam quidem suam habuit, sed non com-
pletam, non perfectam & numeris omnibus absolutam: qua ratione
etiam informis, rudis, indigesta moles appellatur. Ex quo manifestum
est cœli nomine; iis, qui hanc de rudi massâ primitùs creatâ sententiam
amplectuntur, hoc loco venire, *universum corpus cœ' este, cur etos, qui
vulgò numerantur, orbis complectens, perfectum quidem & integrum
ratione substantia, sed tamen sine luce sine motu & distinctione syderum
&c. Confer Hutter. LL. CC. de Creat. q. 3. p. 201. Eodem modo terra
ipsis est, totus iste globus terrestris ratione substantia perfectus, aquis ta-
men adhuc immersus & impolitus.*

28. Rationes pro hâc sententiâ una atque altera ex ipſo textu
fluunt. *Primum* enim Moſes verbis: *Deus creavit cælum & terram*, im-
mediatè hæc subjicit: *Terra autem erat vacua & inanis: inanis* respe-
ctu formæ & ornatus, qui postea accessit: *vacua*, quia adhuc erat incul-
ta, sterilis & tum hominibus tum aliis animantibus destituta: quo sen-
su Jerem. 4. 23. minatur terræ, quod sit futura *vacua & inanis*, idest,
ad eò

817
 geli. Per terram autem hanc ipsam terram, quæ nunc est, seu hunc ipsum terrenum globum quem inhabitamus, unâ cum aquis & quicquid rerum his continetur. Rationes addunt 1. ab expressâ literâ, quæ omninò propriè sineque ullo tropo sit intelligenda, cum nulla cogat necessitas à nativâ significatione ad aliam impropriam confugere. 2. ab Emphaticâ literâ demonstrativa הַאֲרֶץ הַזֶּה, utriusque voci præfixa הַאֲרֶץ הַזֶּה, quod est, hoc cælum, hæc terra, quâ hoc ipsum cælum quod videmus, & hanc terram Moses ceu digito demonstrare voluerit. 3. à naturâ locorum scriptura, quæ certis articulis fidei sedem præbent, in quibus semper τὸ ῥητόν & litera est retinenda, nec ullo pacto à propriâ significatione deflectendum. 4. à crebra horum verborum repetitione maximè in celebratione majestatis & omnipotentia divina, cum Deus appellatur creator cæli & terræ, ubi negari nequeat quod verba propriè accipiantur & simul ad initium Geneleos respiciatur. 5. Quia cælum & terra immediatè ex nihilo condita sint, cum materie eorum ex quâ, neq; in primo cap. Gen neq; uspiam in Scriptura canonicâ fiat mentio, sicut expressè materia significatur, ex quâ fructus terræ, animalia & tandem hominis corpus sit formatum. 6. Quia primus fidei articulus in Symbolo Apostolico ex hoc loco videatur extractus: cum autem ibi vocabula propriè de hoc cælo & hæc terrâ accipiantur, hinc par esse, ut idem fiat. 7. Quia non sit verisimile, Mosén, qui rudi populo hanc historiam de creatione scripsit, statim in vestibulo ἀνορολογίᾳ & sermonis impropriate uti voluisse, maximè cum sequentia omnia perspicuis verbis ordine commemorârit.

30. Ex his duabus sententiis, quarum neutra, ut θ. 27. diximus, vel in fidei ἀνορολογίαν impingit, vel quicquam habet impietatis, prior nobis & textui Mosaico convenientior esse & pluribus niti rationibus, & paucioribus ac minoribus laborare difficultatibus, quàm posterior, atque ita huic præferenda esse videtur quæ videlicet per cælum & terram intelligitur moles, cælum terramque actu quidem in sese, indistinctè tamen ac confusè comprehendens, cælum nimirum nondum expansum, elaboratum, ornatum, & terram inane, vacuum, aquis immersam, arboribus, fructus, incolis destitutam &c. Posterioris sententiæ rationes quod attinet, tametsi non exiguam habere videntur difficultatem, accuratè tamen consideratæ vim probandi amittunt. Nam quod expressâ litera urgetur, quæ propriè & sine tropo sit accipiendâ: id omninò religiosè hic observatur: non enim tropicum & metaphoricum cælum & terram sed propriè dictum cælum, propriè dictam terram in verbis Mosi Theologi agnoscunt, qui rudem & indigestam molem à Deo primo creatam esse statuunt, cælum tamen & terram adhuc indistincta

7.
distincta & confusa, nondum separata & polita: quo verò pacto eorundem proprietates non tollitur. Nam terra propriè ratione substantiæ terra est & manet, sive aquis sit immersa, sive ab iis separata, sive vacua sit & inanis, sive plantis & arboribus vestita. Idem de cælo sentiendum quod ratione substantiæ propriè cælum est, sive adhuc sit quodammodo complicatum sive expansum, sive pleniori ἐξερυσία elaboratum sive adhuc rudius & impolitius. Unde rectè D. Helvic. vindicat. locor. V. T. p. 56. *cælum conditum est primò die, sed informè & nondum distinctum sicuti & aqua & terra. Postea verò cælum secundo die ἐξερυσίαν pleniorè affecutum est, sicut aqua & terra die tertio.* Quod porro attinet demonstrativum ׀ quod cælo & terræ in Hebræo textu præfigitur, falsum est, eodem semper rem perfectam notari, aut perpetuò singularem in eo latere emphasin, quod quotidiana bibliorum Hebræorum lectio docet. Ut non semper in articulis græcis, ita neq; ubiq; in ׀ hebræo peculiaris vis est quærenda: linguæ potius idioma attendendum, quod vel vernacula nostrâ evincit: & certè, patet id clarissimè vel ex vers. 2. cap. 1. Gen. ubi voci ׀׀׀ præfigitur demonstrativum ׀, qua tamen notatur terra prorsus adhuc inelaborata, informis, indistincta, inordinata, quippe quæ tertio demum creationis die elaborata fuit. Tertii, quarti & ultimi argumenti solutio è paulò ante dictis facile petitur. Quintum contra nos non pugnat ut itidem ex superioribus manifestum est. Quod sextum inter aliâ primum fidei articulum in Symbolo Apostolico ex primis verbis Mosis extractum esse, ait, non quidem negamus ita se rem habere. Arbitramur tamen, imò asseveramus, non tantùm huc respexisse Symboli Authores, sed simul ad totam creationis historiam, imò ad divinam providentiã & continuam à primo creationis momento gubernationem, quod omnium quotquot extant ἐξηντητων testimonia comprobant: ut ita indistinctè dici non debeat: Eo sensu verba cæli & terræ accipienda esse in vestibulo historiæ Mosaicæ de creatione, quo in Symbolo Apostolico accipiuntur & vice versâ.

31. Superfunt verba textus בראשית, ἐν ἀρχῇ, in Principio: quæ, tametsi prima in textu sunt, huc tamen in finem, quippe quæ ad prædicati descriptionem & determinationem tanquam externa circumstantia pertinent, fuerunt rejicienda. Vocabulum ראשית à radice ראש initium, significat initium in genere sive originis, sive temporis, sive ordinis, sive numeri, sive dignitatis. De eo variæ & dissentientes Interpretum tum Christianorum tum Judæorum sunt opiniones. Patrum plurimi *Principium mysticum* intellectum volunt, quod est Christi

816
stus Dei filius, à quâ sententiâ non procul abest Targum Hierosolymitanum quod vocabulum hoc reddit בחוכמה in sapientiâ Deus creavit, unde etiam Patres suam expositionem de principio haussisse Mercerus statuit, quorum tamen paucissimos Targum vidisse verisimilius est. Pia quidem & orthodoxa suo loco est sententia, verè enim omnia Pater æternus per coæternum filium creavit Joh 1. 3. Heb 1. Col. 1. 16 sed ab hoc loco aliena & literæ minimè conveniens. Aliis, in principio, idem est quod in principatu seu potestate regiâ. Philo intelligit principium numeri seu ordinis, ut sit sensus: primum & ante omnia alia creavit Deus cælum quippe corporum omnium præstantissimum. Nonnulli existimant vocem ראשון in regimine positam, usque ad versum tertium referri hoc sensu: in principio creandi, sive cum Deus creavit cælum & terram, & terra informis esset &c. dixit Deus fiat lux.

32. Sed simplicissimum est vocem principii de principio temporis & rerum omnium creatarum, quo nimirum tempus & res omnes esse cœperunt ac essentiam suam actualem sunt consecutæ, intelligere, quod cum scopo Mosis pulcherrimè congruit, qui est, explicare, quod, cum infinitis retrò seculis nihil extra Deum extiterit, tandem Dei voluntate certo momento inceperit mundus & tempus, & quidem hoc modo, ut Deus cælum & terram creaverit. Confirmatur idem similibus aliis Scripturæ locis Pf. 102. 26. Hebr. 1. 10. Tu Domine ab initio terram fundasti & opera manuum tuarum sunt cæli Joh 1. v. 1. In principio erat verbum, id est, in illo temporis principio quo cælum & terra creata sunt, jam tùm erat λόγος, non esse incipiebat cum creaturis, sed istis nascentibus extabat, atque ita ab æterno est. Augustin. Epist. 66. Non sicut Deus in principio fecit cælum & terram, ita in principio fecit verbum, sed in principio erat verbum. Sunt, qui vocabulum principii hoc loco cum aliquâ latitudine accipiendum esse volunt, id est, non solum de primo temporis puncto, in quo Deus res creare cœpit, ac ante quod nec tempus, nec motus, nec ullum mobile fuit, sed solus Deus in æternitate existens: sed etiam de puncti illius fluxu per primos sex dies, quibus Deus totum opificium cæli & terræ creare absolvit. Verùm quia Moles primo hoc versu non totam creationis historiâ comprehendit, sed tantùm exponit, quod Deus, cum ab æterno nulla creaturarum extitisset, certo temporis articulo pro liberrimâ suâ voluntate cælum & terram, adhuc tamen indistincta & impolita, oriri verbo suo omnipotente jusserit, rectiùs nostrâ opinione ipsum primum temporis punctum, quàm ejusdem fluxus per integros sex dies per principium intelligitur.

Verè

Verè enim uno momento, ut circumstantiæ monstrant, massa cœli & terræ, de qua sola primus versiculus agit, ad nutum & mandatum divinum prodiit, quemadmodum pòst in distinctione & exornatione creaturarum uno momento, verbi gratia, lux effulsit, uno momento cœlum expansum, uno momento aquæ ab arida separatæ, uno momento terra herbam virentem germinavit &c.

33. Rursum hic in Lutherum invehitur Melchior Zanger, quod **בְּרֵאשִׁית** reddiderit *Am anfang*; laudat autem Dietenbergii translationem quæ habet *Im anfang*; quod particula germanica *Im* tacite innuat, per quem Deus mundum creaverit, nimirum per Filium suum, id quod particula *Am* nullo modo exprimat. Verùm, quemadmodum Zangerus in linguâ Hebræa (verba sunt D. Beringeri) *Rabbi valde simplex est & imperitus, ita res ipsa testatur quod in ipsâ quoq; Theologiâ per exiguos fecerit progressus. Hinc enim liquet, quod primum bibliorum versiculum, imò primum vocabulum nondum rectè intelligat, sive enim vox בְּרֵאשִׁית per germanicum Im anfang/ sive Am anfang reddatur, id tantum significatur, Deum tùm, cum nulla adhuc creaturarum esset, mundum creasse.* Falsa est hypothesis, quâ Zangerus nititur, quod Hebræa præpositio **בְּ** hoc loco sit nota personæ, per quam æternus pater mundum creaverit. Licet enim plures Patrum in hâc sententiâ, ubi licentiosius allegoriis indulserunt, fuerint, ab historiæ tamen literâ eam alienam esse, modò ostendimus. Et videtur Lutherus datâ operâ usus particulâ *Am*/ non alterâ *Im* / ut omnem suspicionem alius significationis, præter eam, quâ temporis initium notatur, tolleret, maximè cum natura & vis hebrææ præpositionis id hoc loco postulârit.

34. Hactenus de textu ipso, in cujus ἐξηγήσει de industriâ omisimus vana superstitionum hominum commenta, quæ de his verbis magnâ copiâ passim inveniuntur. Nemo enim ferè Fanaticorum est, qui non è primo cap. Genes. deliramentorum suorum patrocinium petere audeat; in quo ajunt magnam omnis divinæ & humanæ sapientiæ absconditam esse abyssum. Quod, uti minimè negamus, ita, quæ illi contra fidei ἀναλογίαν & veram pietatem inde eruisse videntur, non in Scripturæ verbis inventa, sed ab ipsis impiè illata esse certi sumus. Judæorum Cabalistsæ, quia literam **מ** sexies in primo versiculo Genes. inveniunt, inde per Cabalam suam, quam **גִּמְטְרִיא** vocant, colligunt mundum hunc duraturum sexies mille annos, cum litera **מ** millenarii nota sit, quæ est traditio cujusdâ Eliæ, cujus, non scriptura, sed Thalmud meminit. Simili artificio verba **בְּרֵאשִׁית בְּרֵא** per ista **בְּרֵאשִׁית בְּרֵאשִׁית בְּרֵאשִׁית** in principio anni (olim à Septembri inchoati) creatus

creatus est (mundus) exponunt, ideo, quod utrobique idem numerus scil. 1116. è valore literarum in unam summam collectarum exurgat. Sic per Cabalam quam **בטריקון** appellant & quæ ipsis est, cum una litera signum est totius rei, prima vox textus nostri **בראשית** pro numero literarum explicatur per alios sex iisdem literis inchoatas **ברא רקיע ארץ שמים ים תהומות** idest creavit firmamentū, terram, cælum, mare, abyssos. Hoc pacto quidam nostratium sine superstitione in voce **ברא** quærunt mysterium SStæ Trinit. ut litera **א** sit Pater, **ב** sit **בן** filius **ר** sit **רוח** Spiritus Sanctus, Confer Dn. D. Glass. amici nostri honorandi philol. sacr. l. 2. p. 390. seqq.

35. Pertinet huc certo modo quod profert Johannes Picus Mirandula in calce heptapli sui sive enarrationis septiformis sex dierum Geneleos. Inquit: *præter spem meam, præter opinionem inveni, quod neque inveniens ipse credebam, neque credere alii facile poterunt, universam de mundi rerumq; omnium creatione rationē in unâ dictione (בראשית) apertam & explicatam. Rem dico mirabilem, inauditam & incredibilem: sed mox credetis, si attenderitis, & res ipsa verum me demōstrabit. Dictio illa apud Hebræos hoc modo scribitur **בראשית** Ex hac igitur si tertiam literam primæ conjugamus fit dictio **אב**: si geminatæ primæ secundam addamus fit **בבר**: si præter primam omnes legamus fit **ראשית**: si quartam primæ & ultimæ connectamus fit **שבת**: si tres primas quo jacent ordine statuamus, fit **ברא**: si primâ omisâ, tres sequentes, fit **ראש**: si omisâ primâ & secundâ, duas sequentes, fit **אש**: si tribus primis omisâ, quartam ultimæ copulemus fit **שת**: rursus si secundam primæ, fit **רב**: si post tertiam quintam tūm quartam statuamus fit **איש**: si primas duas ultimis coagmentemus fit **ברית**: si ultimam primæ, fit ultima dictio & duodecima, quæ est **תב**, verso, quod frequentissimum apud Hebræos, **ט** in **ת** clementum. Videamus autem quid hæc primū latinè significant, tūm, quæ per ea, non ignaris Philosophie, de totâ naturâ mysteria revelentur. **אב** patrem significat, **בבר** in filio & per filium (utrumq; enim significat **ב** prepositio) **ראשית** principiū, **שבת** quietem & finem, **ברא** creavit **ראש** caput: **אש** ignem **שת** fundamentum: **רב** magni **איש** hominis **ברית** fœdere **תב** bono. Et totam si ordine consequenti orationem texamus erit hujusmodi: Pater in filio & per filium, principium, & finem sive quietem creavit caput, ignem, & fundamentum magni hominis fœdere bono. Hæc tota oratio ex primæ illius dictionis resolutione & compositione dissultat, cujus, quam
altus*

altus quam plenus omni doctrinâ sit sensus, palàm haud omnibus esse potest, &c. Ita de voce מִשְׁפָּטֵי מִרְאֵה מִרְאֵה Mirandula cit. lib. Quæ quo loco habenda sint, judicabunt, qui piè scopum revelati verbi divini secum considerant, qui Christi & Apostolorum in var. a Vet. Test. loca commentarios & interpretationes, N. Test. comprehensas, in conspectu habent: qui ingenii humani sibi ipsis & speculationibus suis indulgentis indolem, ac hinc nascentia pericula, multis exemplis confirmata, ponderât: qui graves quorundam Patrum, maximè Origenis, judicio Beati Rhenani, olim ingenio perspicacissimo & optimis disciplinis omnifariam exculpto præditi, lapsus, è desertione literæ & allegoriarum ac propriarum speculationum immoderato amore, ortos, expendit. Habent locum suum ingeniorum ejusmodi lusus, at vix in Scripturâ Sacra, quæ maximâ reverentiâ & animi demissione legenda, in quâ Deo devotè & humiliter, non humanæ phantasiæ sibi ipsi plerumque superbè blandienti aures præbendæ. Quæ non ideo dicimus ut omnes piè doctorum rejiciamus meditationes Cabalæ aliquo modo affines: Analogiæ enim fidei quæ conformes & piæ sunt, retineri posse statuimus, ita tamen ut nullo modo pro Scripturarum expositionibus, probandis & propugnandis fidei articulis, idoneis sed pro jucundis allusionibus habeantur: quarum tamen loco, qui Scripturas Sacras juxta ipsius Spiritus Sancti ductum & Christi Apostolorumque exemplum explicat, longè meliùs & fructuosius tempus collocat.

36. Non possum quin sub finem ἐξηνήσεως textus ad scribam verba Jacobi Gordoni Huntlæi Jesuitæ, quibus ex hoc ipso primo Genesew versiculo demonstrare satagit, *textum Hebraum valdè esse ambiguum, & hinc verbum Dei scriptum minimè sufficere ad certitudinem fidei, sed traditiones etiam maximè necessarias esse, quæ verum & certum sensum ostendant.* Sic autem illa habent. Nulla ferè sententia Vet. Test. in Hebræo textu tam est aperta quæ non possit verti in varios imò & impios sensus, si auferatur traditio & authoritas Ecclesiæ. Quod ut manifestius fiat, uno exemplo id ostendemus. In primo versu primi cap. Gen. qui, quamvis sit perspicuus juxta vulgatam nostram versionem, tamen perverti potest variis modis, si solum Hebraicam literam attendamus, semotâ authoritate Ecclesiæ. Prima perversio est: in principio creârunt Dii gentium cælum & terram: constat enim sæpè - אלהים significare Deos gentium. Secunda perversio. In principio creârunt angeli cælum & terram. Tertia perversio: in principio creârunt Magnates seu judices cælum & terram. Satis enim constat vocem אלהים & Angelos & Magnates seu judices significare. Quarta perversio: In principio succidit vel destru-

xit Deus cælum & terram. Nam קָרָא significat etiam succidere vel destruere. Ezech. 23. 47. Quinta est: propter primitias (id est pingues fructus vel bona terra) elegit Deus cælum & terram. Nam קָרָא in secundâ conjugatione Piel significat eligere Ezech. 21. v. 19. Vbi S. Hieronymus notat, hanc vocem etiam posse significare conijcere vel divinare: atque ita Sexta perversio erit: In principio divinabat vel conijciebat Deus de cælo & terrâ. Septima perversio: in principio renovavit Deus cælum & terram: nam קָרָא significat etiam renovare Ps. 104. 30. Octava perversio. In principio creatus est Deus ex his cælis & ex hac terrâ. Nam tertia persona præteriti primæ conjugationis potest sumi passivè & particula מֵן aliquando significat ex, ut videre est 3. Reg. 18. 32. Quod si verba hæc tam aperta tot diversis modis verti possunt. facile est intelligere quot & quàm diversa excogitari possint interpretationes in obscuris & difficilibus Scripturalocis.

37. Hæc Huntlæus Epit. Controversiar. controv. i. cap. 7. p. 15. & seq. Quæ omnia eum in finem effinxit, ut Hebraici textus totiusq; adeò Scripturæ Sacræ V. T. imminueret authoritatem eamque imperfectionis atque insufficientiæ accusaret, ac hinc humanarum traditionum necessitatem dignitatè que adstrueret. Res autem ipsa, quam Jesuita præstat, abundè testatur cujus sit ingenii & animi, quem si quis perversissimum dixerit nulla affecerit injuriâ. Quis enim non perversissimum appellaret, in quo tot unius versiculi biblici perversiones tam celeriter nascuntur? Quis non hunc agrum à perverso Spiritu rigatum & fœcundatum crederet? Qui Jehovah in Scripturâ ipsum loqui seriò credit, abhorret toto pectore ab hujusmodi σφειβλότητι & tot perversionum excogitatione, quæ facilè omnem reverentiam & honorem verbo divino debitum apud simplices extinguunt. Hoc suum esse quævis pia mens statuit, ut si fortè inter legendû peregrinæ & à textus proprietate alienæ opiniones suboriantur, precibus & suspiriis iisdem resistat, & veram cordis illuminationem fideique incrementa à Deo petat, tantùm abest, ut datâ operâ rationes pervertendarum scripturarum sollicitè effingat. Sed ad rem. Opponimus in genere Jesuiticæ assertioni, quæ maximæ ambiguitatis Scripturam Sacram & in primis textum Hebræum arguit verba 2. Pet. 1. 19. $\text{ἔχομεν βεβαιότερον τὸν προφητικὸν λόγον}$: habemus firmum seu firmiorem Propheticum sermonem. Si sermo Moysis, Prophetarum Oceani, firmus est, falsissimum sit & impium necesse est, asserere infinitis eum laborare ambiguitatibus. Pugnât enim firmum, certum minimè que dubium, quod constantem parit sententiam, cum ambiguo, quod animum hominis in varias opiniones

niones

niones trahit. Deinde distinguimus *inter ambiguitatem vocum singularum* seorsim in se & per se consideratarum: & inter ambiguitatem earum certa sententiâ & periodo cōnnexarum. Non simpliciter negamus, voces Hebræas seorsim extra sententiæ & sermonis contextum sumtas, varias habere posse significationes & ambiguas esse, (si imprimis absque punctis vocalibus scriptæ sint) quæ ratio etiam est aliarum linguarum, latina & vulgatâ versione nullo modo exceptâ, cujus singula vocabula, æquè atque Hebræa torqueri in varias partes possunt. Verùm alia ratio est integræ alicujus sententiæ & periodi, in quâ omninò vox vocem, dictio dictionem, antecedens consequens, consequens antecedens limitat & ad certam significationem restringit, ut ambiguitas omnis tollatur. Esto exemplum è latino sermone petitum. Vocabulum *lupus* seorsim & per se consideratum significat & animal quadrupes omnibus notum, & crudelem animarum seductorem & sic est ambiguum: at, cum Christus Salvator Matth. 7. v. 15. in totâ sententiâ eidem locum tribuit & inquit: *Falsi Prophetæ sunt lupi rapaces*, ilicò propria significatio animalis quadrupedis removetur, & sola metaphorica manet, sine ullâ tali ambiguitate, quæ incertum relinquat animû auditoris. Pari modo verba textus nostri singulariter extra sententiam ambigua esse possunt, at in sententia circumstantiæ omnem ambiguitatem tollunt. Subjectum enim limitat prædicatum & hoc rursus illud: totusque scopus docet, quæ vocum significatio sit amplectenda. Quod ut manifestius fiat, breviter singulas Jesuitæ detorsiones videbimus. Prima est: *Dii gentium creârunt in principio cælum & terram:* **אלהים** enim sæpè significat Deos gentiû: & è modo dictis: **אלהים** extra hanc sententiam tribui etiam Diis gentium, certum est: at hîc nullo modo, quippe ubi agitur de Deo, qui est cæli & terræ creator. *Deos gentium autem cælum & terram non fecisse* novimus, non è Papæ Romani traditionibus, sed è Jerem. cap. 10. 11. Altera est: *in principio creârunt angeli cælum & terram:* Responso modò allata hîc quoque valet: Tertia: *in principio creârunt Magnates & iudices cælum & terram.* Valet & hic eadem, cujus facilis est applicatio. Quarta: *in principio destruxit Deus cælum & terram.* & Verbum **בָּרַח** nunquam in Cal seu primâ conjugatione quæ hoc loco expressè ponitur, sed tantùm in secundâ Piel (quæ hîc abest) *destruere* significat. Et satis verba immediatè sequentia totaque historia creationis monstrant, non hîc de destructione sed fabricatione mundi sermonem esse. Quinta: *propter primitias elegit Deus cælum & terram.* & Etiam hæc significatio tantùm in secundâ conjugatione Piel, nunquam in primâ reperitur: con-

D

fer

fer omnia exempla & lexica. Deinde contextus docet, ineptissimum fore, qui hoc pacto verba interpretaretur, mox enim Moses subjicit: *terra erat vacua & inanis*: an verò quod vacuum, inane, incultum, sterile est, primitias solvit & hinc Deo placet ab eodemque eligitur? Sexta: *In principio divinabat Deus de cælo & terrâ*, ר. Nullibi hæc vocis כַּבֵּן significatio, nec à lexicographis etiam accuratissimis annotata est. Vulgata quidem versio τὸ כַּבֵּן רַי reddidit, *manu capiet conjecturam* Ezech. 21. 19. at Jesuitæ ipsi Sanctius & Maldonatus expressè, *nullam*, ajunt, *hic esse divinationem per manum, sed per aliud conjectandi genus exploratum esse, quàm in manum convertenda essent Chaldaeorum castra*, confer Sanct. in cap. 21. Ezech. Nec Hieronymus loco, quem Jesuita citat, ullibi dicit vocem כַּבֵּן posse significare *conjicere vel divinare*. Septima: *In principio renovavit Deus calum & terram*: ר. Verba immediatè sequentia & tota historia hanc significationem non ferunt in voce כַּבֵּן. Octava: *In principio creatus est Deus ex his calis & hac terrâ*. ר. Ubi certus nominativus tertiæ personæ præteriti primæ conjugationis apponitur, quod hoc loco fit, nomine אֱלֹהִים, nunquam passivè usurpatur, ut exempla docent.

38. Satis de textu Mosaico, qui, reliquis capituli primi partibus junctus, *propria sedes est doctrinæ de Creatione*: sequitur, ut ipsius articuli accuratorem ἐξήγησιν non nihil μεθοδικωτέρας partim ex his ipsis verbis, partim aliis Scripturæ locis depromptam breviter subjiciamus. Ubi opus non est, ut in vocis explicatione novum sumamus laborem, quippe de quâ supra θ. 18. seq. egimus, cui hanc tantùm annecti volumus observationem, quod, *licet in Scripturis divinis creandi verbum de pluribus usurpetur operibus, omnia tamen talia sint, quæ soli Deo conveniunt*, quæq; sub articulo creationis propriè sic dictæ comprehenduntur, vel ad illum reducuntur: deniq; quæ non sunt minoris virtutis ac potentiæ, quàm primæva rerum omnium ex nihilo productio.

An sit creatio.

39. *Esse creationem*, qua totum hoc universum, cum infinitis rebus sæculis haud extitisset, certo temporis puncto essendi acceperit initium, plurimi Gentilium negârunt, qui mundum esse æternum sunt opinati. De Chaldæis id testatur Diodorus Siculus, de Pythagoræis Philo, de Aristotele Lactantius: (quem tamen Scaliger & Conimbrienses excusare nituntur) imò tam familiaris fuit veteribus Philosophis hæc de mundi æternitate opinio, ut Tertullianus l. 1. adversus Marcion scribat: *Plerosque Physicos formidasse initium ac finem mundo tribuere*. Sed impiam hanc & falsam esse sententiam, non solum historia Mosaica cap. 1. docet, sed & plura alia Scripturæ Vet. & Novi Testamen-

stamen

stamenti dicta: accedit omnium creaturarum totius universi testimo-
nium, quæ de suo creatore emissâ quasi voce loquuntur: deniq; mun-
di finis & interitus in Scripturis prædictus idem confirmat. Quod e-
nim certo tempore esse desinit, id certo quoq; tempore incepisse, nul-
lum est dubium.

40. Quæri hic solet, *an creatio mundi ex natura lumine cognosci
possit, an vero solius fidei & mera revelationis sit articulus?* Cujus quæ-
stionis decisionem, omissis rationibus quæ utrinque à dissentientibus
prolixè adferri solent, distinctionibus certis expedimus. Distingui-
mus *inter causam & effectum*, hoc est, inter creatorem & creationem. Cau-
sam efficientem mundi esse Deum, vel quod idem est, mundum non
esse à seipso sed aliunde originem accepisse, etiam ex rationis dictami-
ne cognosci potest. Augustin. l. ii. de C. D. c. 4. *Exceptis Prophetiis
vocibus, mundus ipse ordinatissimâ suâ mutabilitate factum se esse & non
nisi à Deo fieri se potuisse, clamat.* Ita etiam creationem γενικῶς & latè
atque abstractè sumtam, pro rerum omnium à Deo productione, quo-
cunque tandem modo & tempore facta sit, naturæ liber aliquâ ratione
docet, licet creationem εἰδικῶς strictè & concretè adeoque formaliter
acceptam, pro ejusmodi productione, quæ facta est ex nihilo sine alte-
ratione prævia, certo tempore, virtute divinâ & modo eo quo à nullâ
re creatâ fieri potuit, ignoret: cujus cognitio è solâ scripturâ petenda
ac mæra revelationis est. Deinde etiam distinguimus inter potentiam
divinam creandi, & inter actum. De potentiâ, quod Deus mundum
creare potuerit, etiam ex lumine naturæ aliquid habemus, de actu sola
fides nos certiores reddit: revelationis enim est, quod hoc tempore
Deus & non alio, nec ab æterno mundum produxerit, quippe quod nec
à priori nec à posteriori per rationem verbi luce destitutam investigari
potest. Atq; huc pertinet Hebr. ii. v. 3. *πίσει νοῦμεν καὶ ηὐρίδα τὸς αἰῶνας
πρῆματι θεῶ* &c. Quæ verba nonnulli ineptissimè ab opere creationis ad
mysterium unionis hypostaticæ duarum in Christo naturarum detor-
quent, Confer Bened. Justinian. commentar. in h. l.

41. Quæ sit creationis *causa efficiens*, ex textus Mosaici ἀναλύσει
jam clarum satis est, nimirum: *solus & unus verus Deus*, id quod alia pe-
nè innumera Scripturæ testimonia, instar rivulorum è Mosaico fonte
demanantia, confirmant: Confer Job 9. 8. Ps. 124. 8. & 134. 3. Jes. 44.
24. cap. 45. 6. & 7. Jerem. 10. ii. c. 32. 17. Act. 4. 24. Rom II 36. Hebr. 3.
4. & loca alia, quæ meditatus Augustinus, pulchrè scripsit l. 15. de C. D.
c. 7. *Cunctam naturam, quæ non est, quod ipse, non fecit, nisi ipse.* Imò &
ratio ipsa id evincit. Ad creationem enim, quæ est productio Entis ex
nihilò à non esse ad esse, requiritur potentia infinita Esa. 40. 26. c. 42. 6.

*Creationis
causa effi-
ciens.*

D 2

Unde

Unde Hilar. l. 2. de Trin. *infinium est, per quod fit omne quod factum est.* Solus autem Deus est Ens perfectum & virtute infinitum, ac proinde est solus creator. Unde patet, impiè errasse Marcionitas ac Manicheos, qui duo principia statuerunt, Augustin. l. 10. de C. D. c. 29. errasse etiam, qui vel vero Deo opus creationis derogarunt, vel in ejus societatem adscripserunt angelos, quod Simonem Magum fecisse author est Iren. l. 1. c. 20. & l. 2. c. 3. Epiphanius Tom. 2. hæres. 1. p. 30. Idem de Menandro, Saturnio, Basilide, Carpocrate, Cerintho orthodoxi Patres, Augustinus & Irenæus passim referunt. Planè monstrosi fuerunt *in stupiditate Serbiam qui hominem non à Sanctissimâ Trinitate sed à quodam Ialdabaoth, formatum esse asseruerunt*: quibus similis fuit Manes qui à Sacla originem habere hominem, non à Deo, dixit, de quibus confer Theodoret. Tom. 3. Epitom. divin. decretor. lib. 5. pag. 452. cap. de homine.

42. Deum autem unum & solum dum creationis efficientem causam dicimus, eum intelligimus, quem Scriptura Sacra *trinunum*, scil. Patrem, Filiū & Spiritum S. esse docet, quem ignorant Ethnici, qui quidem aliquod numen esse, à quo omnia producta sint, fatentur, sed de distinctarum personarum mysterio nihil profus sciunt. Solius Ecclesiæ hæc è verbo revelato petita sapientia est, quæ creatorem unum agnoscit, *Patrem æternum* 1. Corinth. 8. 6. Hebr. 1. 2. *Filiū ab æterno à Patre genitum* Ps. 102. 26. Proverb. 8. 22. Jes. 44. 24. Joh. 1. 3. & 10. Eph. 3. 9. Col. 1. 16. Hebr. 1. 2. Quò pertinent omnia Scripturæ dicta, quæ testantur Deum per sapientiam, per virtutem, per verbum suum omnia condidisse, quia intelligitur hypostatica sapientia, virtus substantialis & verbum personale. *Spiritum Sanctum ab æterno à Patre & filio procedentem* Job 26. 13. c. 33. 14. Ps. 104. 30. Jes. 40. 13. Ubi non curiosè inquirat in personarum respectu hujus operis distinctionem, sed contenta est revelatione eâ, quod ab æterno Patre per Filium in Spiritu Sancto omnia sint condita: sic enim loquitur Apostolus Rom. 11. 26. *ἐξ αὐτοῦ δι' αὐτοῦ εἰς αὐτόν τὰ πάντα*: ubi particula *ἐξ* tribuitur Patri, *δι'* filio, *εἰς* Spiritu Sancto, quæ diversæ particulæ nullam profus inæqualitatem divinarum personarum arguunt, sed solam distinctionem & ordinem earundem exprimunt.

43. Placuit nonnullis has tres divinitatis personas vocare *tres creatores* sive *tres creationis socias causas*, Goclen. Instit. Log. p. 63. Kerkm. System. Theol. p. 48. Sed meritò ab orthodoxis circumspectè & accuratè, ut decet, loquentibus hæc phrasis repudiatur. Nam 1. *Causalia sunt totius divinitatis communia* inquit Dionys. de divin. Nom. c. 2. *Creare convenit Deo secundum essentiam, quæ tribus communis est.*

85
est personis. Utergo una Deitas, una potentia: ita quoque una virtus
creatrix, creandi una actio. Deinde, ut Pater est Deus omnipotens, æ-
ternus &c. ac æqualiter Filius, æqualiter etiam Spiritus Sanctus, nec
tamen sunt tres Dii omnipotentes, æterni &c. sed unus Deus omnipo-
tens, æternus: sic Pater est creator, Filius est creator, Spiritus Sanctus
est creator, nec tamen tres sunt creatores sed unus est creator. De He-
bræa tamen linguâ notamus, quod peculiari quodam idiotismo myste-
rium SStæ Trinitatis exprimens, de creatore in plurali numero loquatur,
confer Hiob. 35. 10. Ps. 149. 2. Jes. 44. 2. sed non licet idem in aliis lin-
guis, quæ constanter retinent singularem numerum, quemadmodum
etiam τὸ ἰσχυρὸν non Dii sed θεός, Deus, Gott reddiderunt. Agno-
scit hoc ipse Crocius Calvinianus part. 2. convers. Prut. p. 534. ubi scri-
bit: eos, qui tres authores creationis vocant, ἀκύρωσ. esse locutos, & re-
ctius dici tres personas Deitatis unum esse creationis authorem.

44. Ad causam efficientem creationis pertinet *causa impulsiva interior προηγουμένη* (nam προκαταρκτική externa sive extrinsecus mo-
vens atque impellens nulla dari hoc loco propriè potest) quæ nulla alia
est, quàm *immensa & ineffabilis Dei bonitas*, quâ ipse, ut summum bo-
num, cuius natura est, sese communicare ac diffundere, thesauros bo-
nitatis aperire & inter creaturas à se conditas distribuere voluit, unde
descriptioni creationis additur hoc epiphonema: *vidit Deus cuncta
qua fecerat & erant valde bona* Gen. 1. 31. videlicet per communicatio-
nem bonitatis, ex ipso bonitatis fonte in ea derivatæ. Vidit Deus bo-
nitatem suam communicari posse, imminui non posse, inde bonitatis
suz rivulos in creaturas derivavit, fonte interim inexhausto apud i-
psum permanente nullaque ex parte diminuto Unde Damasc. l. 2.
de O. F. c. 2. ἐπειὰ γὰρ ὁ θεός, ὑπερβολῆ ἀγαθότητι εὐδό-
κησε γενέσθαι τινὰ τὰ ἐνεργηθησόμενα καὶ μετέξοντα τῆς αὐτῆ ἀγαθότητι
ἐκ τῆ μὴ ὄντι εἰς τὸ εἶναι παράγει τὰ πάντα &c.

45. De *instrumentali creationis causâ* cogitare nemo debet, cum
omnia solâ voluntate & mandato Dei creatoris producta esse, Scriptura
Sacra confirmet. Sanè Epicureus apud Cic. l. 1. de nat. Deor. ideò ne-
gat, mundum à Deo conditum, quod nulla instrumenta ad tantam
molem idonea habere potuerit. *Quibus oculis, inquit, Plato vester po-
tuit intueri fabricam illam tanti operis, qua construi à Deo atq; edificari
mundum facit? Quæ molitio? quæ ferramenta? qui vectes? quæ machi-
næ? qui ministri tanti muneris fuerunt &c.* At impiè absurdèque à θεο
divinam infinitam omnipotétiam, hominum aliarumq; creaturarum
infirmirate metitur. Homines quidem ad arces, turres, mœnia, ædifi-
cia &c. extruenda instrumentis indigent, non verò ita architectus om-

mnium rerum Deus, qui solo nutu & imperio quævis fabricat. Origenes malè & periculosè olim, *Filium Dei*, scripsit, *in omnium conditione Patri ministrasse, cum per eum omnia dicantur facta*. Hisce enim loquendi modis Arianismo occasionem præbuit. Sunt quidem omnia à Patre per filium creata, at non tanquam per instrumentum, sed tanquam per hypostaticam virtutem. Quemadmodum Pater judicat per Filium, quia judicem genuit; ita quoq; creavit per Filium, quia omnium opificem eum genuit. Objicitur Lutherus, qui cap. 1. Gen. pag. 5. b. in ἐξενήσει versic. 3. verbum (ὕποστατικόν) vocat *medium & instrumentum, quo Deus Pater in operando usus est*, quem secutus Herbrandus Compend Theol. de creat. p. 120. *Filium Dei nominat causam instrumentalem creationis*. Verùm Lutherus mentem suam satis explicat in verbis mox sequentibus, dùm ait, *verbum illud non esse materiale nec creatum, sed unius essentia cum Patre*: id quod etiam ex collatione Gen. 1. cum cap. 1. Joh. demonstrat. Calvinianos morosè duriorē phrasin urgentes remittimus ad Danielis Tilen. verba in notis ad lib. prim. Bellarm. de Christo cap. 9. *Aliter Ariani, aliter orthodoxi Christum vocarunt Dei instrumentum: Illi intellexerunt instrumentum separatum ex vulgi usu, qualia sunt, ensis, malleus &c. isti intellexerunt instrumentum conjunctum essentielle, sermone figurato, quomodo manus, pes, hominis sunt instrumenta*. Neque hæc loquendi ratio omninò aliena est ab ipsius scripturæ usu, quæ Spiritum Sanctum vocat *Dei digitum*, qui tamen propterea non definit esse causa principalis. Perspicuè magis sententiam suam exponit Lutherus tom. 3. Germ. len. pag. 352. b. tract. de verbis Christi, *Hoc est corpus meum, quod immota persistet. Deus, inquit, nihil creat, nisi per verbum suum, hoc verò est Dei potentia: potentia autem Dei nequaquam securis, serra, aut lima est, quâ operetur, sed Deus ipse*. Apud Irenæum occurrit locutio haud dissimilis lib. 4. advers. hæres. cap. 17. ubi Patrem ait in rerum conditione habuisse *copiosum & inenarrabile ministerium, ministrasse enim ei ad omnia, suam progeniem & suam figurationem, id est filium & Spiritum Sanctum*: ad quæ verba Franciscus Fevardentius, ubi plura in hunc modum ex Tertulliano & Justino Martyre attulit, hæc annotat. *Duris alioquin his loquendi formulis haudquaquam filium Dei à Patris naturâ alienum aut potestate inferiorem esse volunt: sed vel ordinem emissionū, vel seriem distinctionis hypostaseon innuunt &c.* Addimus tamen hæc phrasas, & quæ similes iis sunt, inter eas esse, quas scire, dextrè accipere, excusare, nequaquam verò imitari debemus, idque propter Arianos & Photinianos.

Materia.

46. *Materia creationis Ex qua, propriè nulla est: Non enim na-*

tura

87
tura per naturam Deus, sed immediatè per se dedit principium: Εξ ἔκ
ὄντων omnia fecit 2. Maccab. 7. 8. 28. τὰ μὴ ὄντα vocavit ὡς ὄντα Rom. 4.
17. Ac de tenebris lucem iussit splendescere 2. Cor 4. 6. Confer Heb. 11. 3.
Prov. 8. 24. Unde particula Ex, cum ex nihilo mundus factus esse di-
citur, aliud nihil quàm terminum à quo & ordinem significat hoc sen-
su: cum nihil extra Deum infinitis retrò seculis extitisset, tandem cer-
to temporis initio mundus factus est divinâ voluntate. Atque hîc ma-
ximè humana ratio, verbi luce carens, obstupescit, cui semper obversa-
tur vulgatum illud? *Ex nihilo nihil fit*; unde omnes olim Philosophi
aliquid finxerunt ex quo mundus videatur ortus, sive à se sive ab ali-
quâ aliâ causâ. Anaximander posuit mundi materiam elementum
quoddam ἀπειρον, quod tamen non definivit: Anaximenes dixit esse æ-
rem infinitum. Democritus somniavit atomos, qui rotatione & con-
cretionem quâdam fortuitâ quatuor elementa produxerint: quem me-
ritò ridet Lucil. apud Ciceronem lib. 2. de Nat. Deor. Anaxagoras et-
iam materiam statuit æternam, quæ postea à mente architectrice in
certum ordinem redacta & disposita fuerit; quem etiam Plato aliquo
modo secutus est, de quo Justin. Martyr orat. ad Gentil. p. 46. *Plato
principia universi esse affirmat Deum, materiam, ideam. Deum quidem
conditorem omnium: materiam autem primariæ rerum genitarum ge-
nerationi subjacentem, & occasionem creationis Deo præbentem &c.* un-
de etiam Deum non ποιητήν, qui nullius rei indigens suapte virtute ef-
ficiat, sed δημιουργόν, qui ex accepta materia opus suum cõstruat, nomi-
nari voluit Justin. p. 62. Verùm deliramenta hæc facessere jubet Spiri-
tus Sanctus, qui mundum ex nullâ re præexistente tanquam materiâ
vel semine, sed ex nihilo productum esse testatur: confer th. 20.

47. Cæterùm cum creatio alia sit immediata, alia mediata (quam
distinctionem ex re ipsâ sumtam habet Damascen. l. 2. de O. F. c. 5. ὁ θεός
ἐποίησε τὰ μὲν ἐκ ἐκ. προὔποκειμένης ὕλης οἷον ἔρανον, γῆν, τὰ δὲ ἐκ τέτων γε-
γονότων ὑπ' αὐτοῦ, οἷον ζῶα, φυτὰ, σπέρματα) de immediatâ creatione præ-
cipuè, quam alii primariam vocant, intelligenda sunt loca, quæ mundū
ἐξ ἔκ ὄντων sive ex nihilo fabricatum ajunt. Nam mediata creatio sive
secundaria suam habet materiam, tùm primam tùm ortam: illa indige-
sta moles est & informis atque rudis massa primo momento naturæ à
Deo oriri iussa, ex quâ postea cælum & elementa emerferunt: hæc sunt
ipsa elementa, aqua, terra, unde animalia, arbores, plantæ &c. producta
sunt: ipse etiam homo quoad corpus ex limo terræ formatus est. In-
terim tamen rectè adhuc omnia ista adeoque totum universum ejus-
demque singulæ partes ex nihilo creatæ dicuntur, quia productæ sunt
ex illa materiâ, quæ primitus à Deo ἀπλῶς καὶ ἀμέσως ex nihilo creata
fuerat,

fuerat quo modo etiam Augustinus loquitur lib. 1. de gen. cont. Manich. c. 6. *Deus rectissime creditur omnia de nihilo fecisse, quia etiam si omnia formata de ista materia (rudi & informi) facta sunt, hac ipsa tamen materia de omnino nihilo facta est.*

Forma.

48. Quæ sit creationis Formâ ex actionum integrum sextiduum continuatarum ratione facile cognoscere licet. Quidam pro duplici creatione modò explicatâ duplicem etiam ejus formam faciunt: ac immediatâ quidem creationis formam vocant tum abditam illam divinæ potentiæ vim, rudi & indigestæ moli primùm inditam secundùm essentiam & conditiones ipsius: tum immediatam & instantaneam ejus productionem & constitutionem: mediata autem creationis formam dicunt communem illam & abditam universi naturam, quam rebus omnibus modo & ratione communi impressit Deus. Malumus nos majoris lucis & perspicuitatis causa in genere ipsam potentem rerum omnium in principio temporis per sex dierum intersitia productionem ac earundem cum in se tum inter se dispositionem ordinatissimam & ornatissimam formam creationis appellare, id quod etiam plerisque aliis placet.

49. In duobus ergo forma creationis consistit: in rerum productione & earundem dispositione sive collocatione. De productione Scriptura Sacra docet 1. quod sine ullâ coactione, non ex absoluta aliquâ necessitate, sed liberrimâ voluntate Deus mundum ex nihilo fabricârit Psal. 115. 3. *Omnia quacunque voluit, fecit.* 2. quod absque ullâ laboris molestiâ, fatigatione & mutatione solo nutu & volûtate seu omnipotente imperio cuncta produxerit Psal. 33. 9. *Ipse dixit & facta sunt ipse mandavit & creata sunt.* 3. Quod (si quasvis rerum species seorsim, non totum mundi systema simul spectemus) non longo temporis tractu sed uno momento singula in suo genere perfecta condiderit: Quo momento enim dixit: *fiat lux*, ilicò facta est: quo momento dixit: *esto expansum, herbescat terra, fiant luminaria, producat terra animantia &c.* mox omnia in ejus conspectu steterunt omnibus partibus absoluta. 4. quod, (si non singulas seorsim, sed omnes mundi partes simul adeoque totum hoc universum uno complexu consideremus) non subito aut uno momento, sed sex dierum spatio mundum creârit & perfecit Gen. 2. 2. *Die septimo quievit ab opere &c.* Philo Judæus quidem *rusticam* appellavit *simplicitatem*, si quis statuat sex diebus mundum esse creatum, per numerum senarium nihil aliud denotari sentiens quàm perfectionem mundi: quam sententiam Becanus Iesuita etiam tribuit Procopio Gazæo & Caietano part. 1. Theol. Scholast. pag. 391. Sed clara scripturæ litera est in historiâ Mosaicâ, à qua nequaquam

quam recedendum. Poterat quidem Deus, quæ infinita ejus & im-
mensa virtus est, uno momento simul omnia producere, sed non ita
ipfi visum est: cujus voluntas sufficiens est ratio & responsio, cum quæ-
ritur, cur non omnia uno momento creârit? licet à piis veteribus cau-
sæ ejus rei variæ non planè incommodè adducantur, quas apponere
hoc loco prolixitatis ratio prohibet.

50. *Primo itaque die Deus cælum & terram, id est informem fu-
turi operis molem & materiam creavit ut & lucem, quæ, ut inquit Am-
bros. hexaëm. l. 1. c. 9. prima gratia est edificii: quæ si desit, tota domus
deformi horret incultu: si adsit, reliquos domus commendat ornatus. Se-
cundi diei opus fuit פֶּתַח expansum sive firmamentum, quod aquas
superiores ab inferioribus divisit. Tertio die, aquæ infra firmamentum
in unum locum congregatæ sunt, unde apparuit arida sive terra, quæ,
licet cœlesti virtute & solis calore nondum esset fœcundata, aut rigata
pluviis, varias tamen Dei jussu herbas protulit. Quarto die Deus cœ-
lum, hætenus adhuc ἀναστρον & certo modo impositum, luminaribus
variis atque pulcherrimis, sole, lunâ aliisque stellis tùm fixis tùm erran-
tibus exornavit & quidem ad varios usus inferiori mundo præstandos.
Quinto die creata sunt volatilia & aquatilia, sive pisces & volucres &
quicquid animantium sese in aquis atque in aëre movet. Sextus dies
totum opus creationis clausit, quo reliquæ creaturæ natalem suam
habuerunt: nimirum omnia animalia terrestria, quorum variæ sunt
species, & tandem homo totius creationis colophon.*

51. Quæstiones, quæ de singulis hisce singulorum dierum ope-
ribus moveri tùm à veteribus tùm à recentioribus solent, ferè infinitæ
sunt, quas inter plurimæ quidè sunt utiles & meditatione dignæ, mul-
tæ verò curiosæ, spinosæ, ineptæ, inutiles. Nos uti in hisce operam per-
dere nolumus, ita illarum considerationem suscipere hæc brevi dispu-
tatione non possumus: operam daturi, ut in ipsâ sententiarum colla-
tione κατὰ δύναμιν datâ occasione quæ hoc loco omittere cogimur, ex-
plicemus.

52. Dispositionem & collocationem creaturarum si contem-
plemur, ea pulcherrima est, aptissima & jucundissima. Nam, cum ad-
miranda earum sit varietas, aptissimus tamen ordo conspicitur: nobi-
liora enim corporum summum, ignobilia imum, mediæ conditio-
nis medium locum occupant, & per superiora certo modo reguntur
& conservantur. Præterea mira est atque arcta omnium creaturarum
maximè corporearum connexio, non modò secundum quantitatem,
ut nihil sit usquam inane & vacuum, sed etiam in serie contextúq; na-
turalium specierum, videlicet ut nulla sit interruptio, utque quælibet

E

pars

pars aliis vicinis circumquaque aptissimè & amicissimè adstricta & de-
vincta sit. Accedit denique suavissima omnium rerum inter se & cum
toto mundo proportio, quæ similis est pulchritudini humani corpo-
ris, quæ ex concinnâ membrorum omnium compositione confluit,
quo fit, ut, sicut homo est parvus mundus, sic mundus sit magnus qui-
dam homo. Meritò ergo Augustinus Epist. 28. adducens illud Es. 40.
26. juxta versionem Græcam: ὁ κατασκευάζων τὸν κόσμον ὡς ἄνθρωπος:
qui profert numerosè seculum, docet, mundum Musicam esse suavissimam
modulationis Dei, quæ ex variis & contrariis rebus, quasi sonis oppositis
conflata, concentum & harmoniam edat admirabilem.

Finis.

53. *Finis creationis ultimus ac supremus Creatoris gloria est, ut
ea à creatura rationali agnoscatur & celebretur. Pulchrè Basil. hexaem.
homil. 11. p. 94. Totus hic mundus quasi conscriptum quoddam volumen
est, predicans gloriam Dei & absconditam alioqui atque invisibilem il-
lius magnificentiam per seipsum tibi mente prædico &c. Confer Ps. 8. 1.
& 19. 1. & 135. 10. & 148. 5. Prov. 16. 4. Apoc. 4. 10. Elucet enim hinc im-
mensa Dei sapientia, quam res creatæ suâ quantitate, varietate, multi-
tudine, distinctione, ordine, harmoniâ & conversione, pulchritudine,
elegantiâ, perfectione, bonitate, facultate & proprietate naturali & es-
sentiali sibi inditâ testantur. Elucet infinita potentia. Nam omnia, vel
ex nihilo, vel ex inhabili prorsus materiâ solâ voluntate, jussu & verbo,
sine morâ, absque fatigatione & mutatione producere, omnipotentis-
simæ virtutis est: omnipotens est Deus, inquit Augustin. serm. 119. de
Temp. ad facienda majora & minora, omnipotens ad cœlestia & terre-
stria, omnipotens est ad facienda mortalia & immortalia, omnipotens
est ad facienda spiritalia & corporalia, omnipotens est ad facienda vi-
sibilia & invisibilia: postremò omnipotens est ad facienda omnia quæ fa-
cere voluerit. Elucet etiam summa bonitas. Erat Deus, uti etiam nunc
est, sibi sufficiens ab æterno in æternum, nullius extra se rei indigus, ad
felicitatis aliquam partem obtinendam, nihilominus placuit suam bo-
nitatem cum aliis certo modo communicare & inexhausti fontis ali-
quos in creaturas deducere rivulos. Breviter hæc & accuratè Bernhar-
dus complectitur serm. 3. in die Pentecost. Potētissimè ex nihilo omnia,
sapiētissimè pulchra, benignissimè utilia (à Deo) creata sunt.*

54. *Deinde etiam ad hominum usus & commoditatem hæc re-
rum universitas est condita: quod non tantum sacræ literæ docent, sed
& res ipsa atque experientia satis evincit. Si enim omnia & singula a-
nimo perlustremus, nihil invenimus quod non certâ ratione ad usum
hominum aliquid conferat. Quædam ad humanæ vitæ necessitates &
commoditates, alia ad gaudia & delectationes, nonnulla ad præsidia*

sanita.

sanitatis & morborum remedia pertinent: multa insuper ad exemplum & imitationem sunt proposita. Denique ubique occurrit tam utilis benignitas & tam benigna utilitas, quæ etiam ingratis quosque multitudinem & magnitudine beneficiorum possit obruere, ut Bernhardus habet loc. cit. Unde etiam Deus postremo loco hominem formare voluit. Prius enim pulcherrimum & absolutissimum, hoc est, rebus ad ornatum, ad usum, ad jucunditatem pertinentibus refertissimum universi theatrum construxit, ac postea in hoc palatium augustissimum ita præparatum introduxit hominem, ut eodem frueretur. Eleganter Ambrosius Tom. 3. Epist. 38. *Qui convivium, inquit, adornat utique omnia prius præparat, tauros & saginata occidit, & tunc amicos ad cœnam invitat: prius quæ leviora sunt parantur & tunc vocatur honoratior. Unde & Dominus homini antè animalium ceterorum præparavit epulas, tunc ipsum quasi amicum ad convivium vocavit. Et paulò post sub finem addit. Rectè novissimus homo quasi totius summa operis, quasi causa mundi, propter quem facta omnia, quasi omnium habitator elementorum, inter feras vivit, cum piscibus natat, super aves volat, conversatur cum angelis, terram inhabitat & cœlo militat, sulcat mare, aère pascitur, cultor soli, viator profundi, piscator in fluctibus, in aère auceps, in cœlo haeres, cohaeres Christi.*

55. At, inquis, qui fieri potest, ut omnia in commodum & usum hominis creata sint, cum negari nequeat, exortas esse cum herbis (verba sunt Basil. homil. 8. haxaëm) quæ alunt, etiam exitiales & venenosas, cum frumento cicutam; cum esculentis ceteris belleborum, aconitum &c. creatas insuper etiam esse plurimas bestias venenosas & hominis vitæ noxias? Basil. loc. cit. arbitratur nonnullas plantarum, quæ nimirum hominem aliquo pacto lædunt, aliis, quàm quibus hodie præditæ sunt, qualitatibus & conditionibus olim fuisse productas. De rosâ expressè scribit: *Rosa tunc spinis carebat, postea verò pulchritudini floris adjunctæ sunt spinæ, quo voluptatis oblectamento nos inde capiendæ propinquè afficiamur dolore, recordatione delicti.* Verùm nihil tale ex circumstantiis historię creationis colligi potest. Idem ergo Basilus ut & Augustinus rectius de herbis venenatis scribit. *Licet hominis ventri sint exitio & cibum ipsi gratum non præbeant, esse tamen aliis nominibus utilissimas, conferre plurimum ad medicinam: Imò nonnullis animalibus rationis expertibus jucundum esse pabulum, quæ ipsa postea in cibum hominum destinantur: uti videmus sturnum cicutâ & coturnicem belleboro nutriri.* Idem sentiendum de venenosis bestiis: & simul notandum, si nonnunquam hodiè à quibusdam animantibus homo lædatur, id non ex primâ creatione sed à peccato introducto oriri. Ante lapsum concessum

erat homini plenarium dominium in omnes bestias terræ: quod postea propter peccatum majorem partem sublatum fuit. Homo suâ contra creatorem inobedientiâ & seditione adversus semetipsum plurimas creaturarum excitavit, ut quas potuisset habere ad nutum obsequentissimas, eorum jam conspectum fugiat & horreat.

Effectus. §6. Sequitur *effectus creationis*, qui est ipsum hoc totum universum, cœlum, terra, & reliquæ omnes, quæ iisdem continentur substantiæ (harum enim propriè creatio est) quarum aliæ sunt incorporeæ ut Angeli, (quos creatos esse certum est, licet temporis momentum scriptura non exprimat) reliquæ corporeæ, & hæ iterum vel incorruptibiles ut cœlum & astra, quæ corruptioni ac interitui naturali obnoxia non sunt, divinâ tamen virtute aliquando in nihilum redigenda, ex quo facta sunt; vel corruptibiles, quæ aut simplices ut Elementa, aut ex his constitutæ, quæ aut inanimatæ ut lapides, saxa, metalla; aut animatæ, quæ vel vegetantes ut plantæ, herbæ, arbores; vel sentientes ut animalia rationis expertia, sive in aëre, sive in terrâ, sive in aquis, sive in diversis elementis vitam agentia, vel rationales, scilicet homines.

Adjuncta. §7. Ad *adjuncta creationis locus & tempus* referuntur. Et de loco quidem supervacua quæstio est: qui, cum sit naturalium corporum externum accidens, cogitari sanè, iis nondum existentibus, nequit. In loco itaque mundus non est factus. Ergo, inquis, in spatio vacuo: Ita quidem placuit Danæo loqui, adducenti è Scripturâ Sacra locum Job. 26. 7. At hoc est Ethnicorum deliramenta, quibus mundo ejusmodi spatium cum materiâ & formâ præmiserunt, Spiritus Sancti oraculis præferre. Quale enim spatium illud fuisset, creatum né an verò increatum? Si creatum, jam prius creatum aliquid fuisset ipsâ creatione, si increatum, aut in Deo aut extra Deum fuisset, quorum neutrum dici potest. Ante mundum nihil quicquam fuit mundani, sicut etiam Aristoteles extra cœlum nec locum, nec tempus, nec aliquod aliud concedit. Ubi autem nihil mundanum ibi nec locus: negatis enim substantiis etiam adjuncta negantur. Quod si locus ante mundum non extitit, ideoque nec vacuum: ut sic istud enunciatum, *mundus conditus est in vacuo spatio*, nec Scripturæ Sacræ, nec sanæ rationi sit consentaneum. Quod attinet verba Jobi cap. 26. 7. ubi Deus *extendisse legitur aquilonem super inane & terram suspendisse super nihilum*, hoc ea tantum volunt, quod mundus non ita sit creatus, ut fulcris, quibus sustentetur, indigeat, sed quòd ita maneat suâ sede, divinâ potentiâ & sapientiâ, id quod opponendum errori Plinii, qui lib. 2. c. 64. *in cœlo*, inquit, *inter se convexitas vergit, & cardini suo hoc est terræ undiq; incumbit: hæc ut solida atq; confecta assurgit intumescenti similis, Mundus in centrum*

rum vergit: at terra exit à centro, immensum eius globum in formam orbis assiduâ circa eam mundi volubilitate cogente: confer Ps. 102. 26. Jef. 40. 17.

58. Quod tempus creationis spectat, imprudens quæstio est, cum simpliciter quæritur an vere, vel autumno, vel æstate mundus sit conditus? Præterquam enim, quod in primo creationis principio nullum adhuc fuit tempus, notum est ista tempora locis mutari. Neque enim ubique simul est aut ver, aut æstas, aut autumnus, sed cum in certo terræ tractu æstas, est alibi vel hyems est vel autumnus. Modestius quæritur, quodnam anni tempus cœperit illo sextiduo, quo Deus mundum & omnia in eo contenta creavit? Ubi quidam pro autumnali, alii pro verno tempore militant. Qui autumno mundum creatum esse statuunt, id præcipuè urgent, quod juxta historiam creationis omnis generis arbores ac fructus perfecti ac maturi, & ad comedendum idonei producti fuerint, qualibus in cibum animantium & hominum statim opus erat. Gen. 1. 12. 29. 30. ex quo omninò sequi videtur, tempus creationis non vernum sed autumnale, quo plurimi ex agris & arboribus fructus maturi colliguntur, fuisse. Qui creationem ad vernale tempus referunt, primùm nituntur consuetudine Hebræorum annum suum auspiciandi à mense Abib seu Nisan, qui partim in Aprilem partim in Martium cadit, & initium sumit à novilunio, quod proximè antecedit vel sequitur æquinoctium vernum. Exod. 13. 4. Esthr. 3. 7. Deinde considerant constitutionem verno temporis, quod amœnissimum est omniumq; rerum, in primis autem viventium generationi & augmentationi aptissimum. Conferunt etiam inter se Adamum primum & secundum & ajunt, credibile esse eodem anni tempore humanum genus formatum atq; ad eò ipsum quoque mundum creatum fuisse, quo per Christum reparatus est, scil. verno tempore. Non malè, nostrâ opinione, de scrupulosâ hâc quæstione Libavius l. i. de univers. rer. p. 89. ubi mavult, prorsus intermitti quam curiosè ventilari hanc quæstionem: *Ex natura, inquit, jam absoluta de natura primordio haud commodè judicatur. Non enim aptitudines natura initio creationis Deus respiciebat, sed totum id voluntatis erat atque potentia. Deinde cum terra diversis partibus diversimodè se habeat ad partes anni, quod argumentum apud nos foret aptum, ineptum esset apud oppositos nobis & apud habitantes Zonam torridam &c.* Si tamen alterutra superiorum sententiarum amplectenda, posteriorem priori præferimus, quæ etiam plerisque ex antiquitate placuit: nominatim Eusebio, Cyrillo Hierosolymitano, Athanasio, Gregorio Nazianzeno, Isidoro, Damasceno, Ambrosio, Theodoro, Bedæ, de quibus confer Perer. in cap. 1. Gen. v. 11.

4
& 12. p. 42. Idem sentiunt ex recentioribus Chemnit. LL. CC. part. I, p. 121. Hunn. quæst. in Gen. Tom. 3. p. 1435. seq. & alii plures.

59. Pertinet ad has temporis circumstantias etiam *curiosa investigatio* actionum divinarum ante mundi creationem. De qua sæpè ex Augustino adduci audimus quod dixerit: *Deum talia quærenti infernum parasse.* Sed nullibi Augustinus hoc utitur responso: imò disertè id rejicit l. 11. Confess. c. 12. ubi ad quæstionem, *Quid Deus fecerit ante mundi creationem?* Respondeo, inquit, *non illud quod quidam respondisse perhibetur, joculariter eludens quæstionis violentiam: alta scrutantibus gehennas parabat, Aliud est videre aliud ridere. Hæc non respondeo. Libentius enim responderim nescio, quam illud, unde irridetur qui alta interrogavit & laudatur qui falsa respondebit.* Et mox. *Audenter dico: antequam faciebat Deus cælum & terram, nihil faciebat &c.* Rectissimè Augustinus ita de operibus Dei externis loquitur, de quibus ante mundi creationem frustra quæritur, cum mundi creatio sit prima Dei externa actio. Interim, si æterna decreta Dei velimus cum quibusdam actiones internas vocare, plures Deo tribuuntur in Scriptura Sacra ante mundi conditionem operationes. Nam ab æterno decrevit mundum creare, lapsum genus humanum redimere, credentes justificare, perseverantes in fide salvare, pertinaciter impios damnare &c. Confer Eph. 1. 4. 2. Tim. 1. 9. Matth. 25. 34.

Cognata. 60. *Cognata* est operi creationis divina *providentia*, quâ rerum conditor Deus mundum semel à se fabricatum suâ virtute & omnipotente verbo conservat, quæ conservatio non malè quædam quasi *creationis continuatio* nominari potest. Fuerunt quidem, ut apud Augustinum lib. 5. de gen. ad lit. c. 20. legere est, qui arbitrati sunt: *tantum mundum à Deo factum fuisse, cætera jam fieri ab ipso mundo sicut ille ordinavit & jussit, Deum autem ipsum nihil operari;* sed contrarium ex verbo Dei patet, Joh. 5. 17. *Pater meus usque adhuc operatur & ego operor:* Si vel momentum operationem suam Deus atque regimen mundo subtraheret, in nihilum recideret, aut minimùm omnia collaberentur. Quod si enim navis assiduâ gubernatione indiget, quantò magis hanc totam cœli terræque machinam providentiâ sui creatoris indigere omnibus momentis, putandum est: unde sæpissimè Scriptura Sacra providentiam cum creatione conjungit: confer Job. 12. 9. & 10. Act. 7. 24. 25. & 28. Ps. 121. 2. Piè Anselmus Monolog. c. 12. Tom. 3. p. 5. & 6. *Cuncta, quæ facta sunt, eodem ipso sustinente, vigent quam diu sunt: sicut nihil factum est, nisi per creatricem præsentem essentiam, ita nihil viget nisi per ejusdem servatricem potentiam.* Sed de hoc aliàs.

Pugnancia.

61. *Pugnancia* sive contraria hîc sunt omnes errores & corruptelæ,

ptelæ, quæ sanam de creatione doctrinam è verbo Dei haustam, quocun- que modo infestant, sive ab Ethnicis, sive à Judæis extra Ecclesiam, sive ab Hæreticis in Ecclesia, profectæ sint, ut, quod creatio prorsus nulla certo temporis exordio facta, sed mundus æternus sit, quod Deus in creatione angelos sibi operationis socios adjunxerit, quod Filius Dei & Spiritus Sanctus non sint creationis author, quod Filius Dei tantum sit instrumentum creationis, quod Deus habuerit materiam sibi coæternam, cujus tantum fuerit expolitor, quod mundus ex atomis per infinitum inane volitantibus coierit: quod omnia simul uno momento non distinctis dierum intervallis producta sint &c. Quo etiam referendum horrendum βδένυμα Veterum Calvinianorum, quod Deus maximam partem humani generis condiderit, ut peccaret & æternis inferorum cruciatibus torqueretur, quod cum natura creatoris & creationis fine, qui inter alios etiam est bonitatis divinæ declaratio, è diametro pugnat.

62. Annectimus coronidis loco definitionem creationis talem: *Definitio creatio- nis.*
Creatio est externa unius & solius Dei trinunius Patris Filij & Spiritus Sancti actio, quæ non ex aliquâ sibi coæternâ materiâ sed vel prorsus im- mediata è ex nihilo, vel ex materiâ antea è nihilo facta, naturaliter tamen ad eam quam post accepit formam suscipiendam inhabili, liberrimâ vo- luntate solóque jussu & imperio, initio temporis sex dierum spatio, omnia extra se visibilia & invisibilia condidit, in immensa potentia, sapientia & bonitatis sua gloriâ, ac humani generis commodum atque utilitatem.

63. Obsignamus meditationem nostram devotissimis suspiriis, quæ extant Tom. 9. operum Augustin. libr. soliloqq. cap. 7. & II. Domine benignissime, Deus altissime, Pater misericordissime, creator poten- tissime: non eram & creâsti me, nihil fueram & de nihilo aliquid me fe- cisti: Quale autem aliquid? non stillam aquæ, non ignem, non avem vel piscem, non serpentem vel aliquid ex brutis animalibus, non lapidem vel lignum, sed paulò minus parem me creâsti angelus, quia rationem te co- gnoscendi cum ipsis à te communem accepi: Adjuva creaturam tuam, quam creavit benignitas tua, non pereat in miseriam, quod summa fecit clementia. Creasti me Domine, rege quod creâsti: me fecisti de nihilo: si me non regis ad nihilum redigar in me. Illa charitas tua Domine Deus, meus, quæ te ad creationem adegit, ipsa quæ so modo cogat te ad regendum: ipsa te vincat charitas ad salvandum, quæ te vicit ad creandum, quia nec nunc minor est, quia ipsa charitas tu ipse es, qui semper idem es. Amen.

F I N I S.

